

legere libros Hereticorum, vel esse prohibita sub Excommunicatione, illam non incurreret. Quidam addunt etiam ignorantia sit affectata, propter istam particulam, scilicet. Pro quo vide, quae dixi Dissert. 5. de Peccatis art. 7.

Dicitur 7. Aut retinentes, sive ad legendum, sive ad ornatum, sive ob antiquitatem, sive ad involvendum merces, aut ad alium quemlibet usum; quia illorum librorum retentio est continua occasio praesentibus & futuris eos legendi cum periculo lapsus: intellige tamen retinentes sufficienti tempore ad peccatum mortale; quod desumi debet, ut dictum est de lectione, ex fine legis, qui est idem, scilicet periculum subversionis vitandum; nam ex retentione sequitur periculum legendi, & ex lectione periculum subversionis. Confer Dissert. 8. de Peccatis prius cit. Dicitur 8. Impressiones, quales censentur omnes proximi concurrentes ad impressionem, ut disponetes typos, tingentes atramento, madefaciendes chartas, prementes torcularia, Corrector foliorum, Director Impressionis; non vero conficiendes & vendentes typos, chartas, atramentum; quia remotè tantum concurrunt. Dicitur 9. Defendentes, ut qui librum huc, commendant, verbo, vel scripto defendunt, occultant, aut alio modo impediunt, ne deleatur, aut comburatur.

Dico 2. Qui legit, non solum Hereticorum libros, sed cuiusvis Auctoris scripta titulo heresis prohibita, incurrit Excommunicationem non reservatam. Qui vero libros alio titulo prohibitos legit, peccat, sed non incurrit Excommunicationem. Ita Regula 10. Indicis Concilii Trid. his verbis: „Si quis libros Hereticorum, vel cuiuscumque Auctoris scripta, ob heresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legit, sive habuerit, statim Excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros, alio nomine interdictos, legit, aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum severe puniatur.“ Ulterius prohibetur lectio Bibliorum & controversiarum inter Catholicos & Hereticos, vulgari idiomate sine licentia Episcopi, aut Inquisitoris, Regula 4. & 6. Indicis praefati: item librorum, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, Regula 7. & plurimum aliorum in eodem Indice. Verum observant Auctores, hunc Indicem non esse quoad omnia in toto rigore receptum.

Petes, utram, qui legit in libris Catholicorum quaedam dicta excerpta ex libris Hereticorum, vel aliorum Auctorum damnatorum, peccet & incurrat Excommunicationem? R. Negativè; quia in primis non sunt libri Hereticorum; & quamvis possint dici eorum scripta, seu pars libri prohibiti, usu tamen recepto reputantur propria Auctorum Catholicorum, in quorum libris sunt inserta tanquam eorum partes, & sic apprehendit sensus communis. Unde praxis omnium Auctorum Catholicorum est, ut, occasione data, fragmenta Hereticorum, vel aliorum Auctorum damnatorum exscribant in suis operibus, sive ut eorum mens, ac doctrina dignoscatur, sive ut eorum errores refutentur, sive etiam ut veritati asserendae deserviant, quando nempe depromuntur ex libris prohibitis, sed Auctorem aliunde Catholicorum, qui, licet sit quibusdam lapsi, saepe tamen in pluribus egregie pro veritate scripserunt & docerantur.

ARTICULUS IV.

De Apostasia.

Apostasia (Hic q. 12. a. 1. o.) graecè idem est, ac latine discessio, seu desertio. Si generaliter sumatur, omne peccatum potest dici Apostasia, quia est discessio a Deo, & eius mandatis. Specialiter autem sumpta est discessio a bono, quod quis solemniter professus est. Et est triplex, Apostasia a Fide, a Religione, & ab Ordine.

Dico 1. (Ib.) Apostasia a Fide est desertio totius fidei; & per hoc distinguitur ab Heresi, quae est desertio fidei quoad partem tantum. Haec autem distinctio non est essentialis; eadem enim est definitio Heresis & Apostasiae, nimirum error pertinax in intellectu in eo, qui fidem in veritate manifesta suscepit. Quod verò Apostata deserat totam fidem, & Hereticus partem tantum, facit distinctionem accidentalem secundum magis & minus. Atramentum secundum communem Sententiam de circumstantiis notabiliter aggravantibus confitendis, adperiendum est in confessione, an fuerit Apostasia, vel Heresis: an Apostata ad Paganismum, vel Iudaismum, vel Atheismum recesserit. Apostatarum a Fide poena eadem sunt, ac poena Hereticorum.

Dico 2. Qui Religionem approbatam, quam tacite, vel expressè professus est, sine legitima Superiorum licentia deserit cum animo non rediendi, etiam non dimisso habitu, est Apostata: quia, sicut habitus non facit Monachum, sed Professio vitae Religiosae, sic dimissio habitus non facit Apostatam, sed recessus a vita Religiosa. Quod si dimittat habitum, ipso facto excommunicatur. c. Ut periculosus, tit. ne Clerici & Monachi, in 6. l. 3. Si vero non dimittat habitum, Jure communi non excommunicatur, sed unusquisque consulere debet leges sui Ordinis. In nostro Praedicatorum Ordine excommunicatur ipso facto Dist. 1. c. 20. lit. A. Item, si temerè, animo scilicet vagandi, etsi cum voluntate redeundi, non est quidem Apostata, attamen ipso facto excommunicatur cap. cit. Ut periculosus. Si vero non temerè & causa vagandi, sed ex legitima causa dimittat habitum sive intra claustrum, puta, causaconi, quietis, infirmitatis, &c. sive extra claustrum, puta, metu mortis, incedendo per terras Infidelium, vel causa vitandi scandali incedendo noctu, aliave causa rationabili, non peccat, nec incurrit Excommunicationem; quia laudatus Canon est tantum contra dimissionem habitus temerariam, quae sit mater apta evagationi: Ut periculosus inquit, „Religiosis evagationi materia subtrahatur, districtius inhibebimus, ne de cetero aliquis, quacumque Religionem tacite, vel expressè professus, in scholis, vel alibi temerè habitum suae Religionis dimittat... Si quis autem horum temerarius violator extiterit, Excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.“ Dimissio autem habitus ex causa rationabili non est temeraria. Imò, etsi temerè & sine causa legitima dimitteret intra claustrum ibi remanendo, non incurret Excommunicationem; quia non foret materia apta divagationi. Multi tenent, quod Religiosus, qui temerè & sine causa occulta habitum extra claustrum, ut nihil appareat, sit excommunicatus; quia talis occultatio est quaedam mortalis dimissio, & apta mater vagandi. Posset forte reponi, quod non sit strictè dimissio, & quod ista lex specialis sit strictè intelligenda. Sed nolim contradicere sententiae communi.

Dico 3. Qui ab Ordine sacro sine legitima dispensatione retrocedit ad statum saecularem, est Apostata, & peccat mortaliter; quia deserit statum, cui per Ecclesiam erat solemniter mancipatus, & quem deserere vetant plures Canonnes, poenis impositis contra desgressores. Qui vero recedit a minoribus, non est Apostata, nec per se loquendo peccat; quia nullo Jure huc statum adstringitur, sed se habet sicut Novitius in Religione, quam liberè potest deserere.

ARTICULUS V.

De Blasphemia.

Blasphemia (Ibid. q. 14. a. 1. o.) est vox graeca, significans idem, ac latine maledictio. Sumitur a Theologis, ob maledictione derogante excellenti bonitati, praecipue divinae. Unde

Dico 1. (Ibid.) Blasphemia definitur potest: Cordis, vel oris locutio, qua per modum convicii dicitur aliquid derogans excellentiae divinae bonitatis. Sep brevius, Contumeliosa contra Deum locutio. Explicatur: dicitur i. cordis, vel oris; quia utroque loquimur, & daemones, qui non nisi mente loquuntur, blasphemant. Dicitur 2. per modum convicii: per quod distinguitur ab Infidelitate simplici, quae consistit in assensu contra fidem. Ad Blasphemiam autem non requiritur assensus contra fidem; sed sufficit, quod de Deo dicatur aliquid per modum convicii. Neque ad id requiritur, quod bene nota, explicita & expressa intentio Deum conviciandi & inhonorandi; sed sufficit virtualis & implicita, quatenus per verba, aut per modum ea pronuntiandi, iuxta communem apprehensionem, Deus dehonoretur & contemnitur. Unde non assentior iis, qui dicunt, non esse blasphemiam, sed tantum vanum usum divini nominis, quando quis indignando, non Deo, sed homini profert: caput, mortem, sanguinem Dei, & similia: ista enim verba, eo modo pronuntiata, sunt Deo contumeliosa, licet aliter occasione prolata: consequenter ibi est virtualis, & implicita intentio inhonorandi Deum. Et alioquin rare admodum forent blasphemiae, cum tamen reputentur frequentissimae. Unde S. Th. hic a. 2. ad 3. dicit, quod, qui subito ex aliqua passione in verba blasphemiam prorumpit advertens ad eorum significationem, blasphemiam mortalem committit: qui autem haec & similia profert non modo contumelioso, sed vel recitative, vel historice, non est Blasphemus. Unde specialiter attendendum est ad modum pronuntiandi.

Dicitur: Derogans excellentiae divinae bonitatis: & hoc fit: non solum quando directè contra Deum aliquid contumeliosè dicitur, sed etiam contra Sanctos & res sacras, non quidem secundum se (sic enim non esset proprie Blasphemia, sed vitium irreligiositatis duliae oppositum) sed cum aliqua habitudine saltem virtuali ad Deum. Sicut enim inquit Auctor (Ib. ad 2.), Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctis facit; ita & blasphem'a, quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat. Qui ergo diceret, S. Petrum esse impium & damnatum, B. Virginem esse meretricem, esset blasphemus. Qui verò loqueretur de illis, non prohi Sancti sunt, sed prohi fuerunt homines in terra, v. gr. si nominaret S. Petrum calvum, S. Crispinum autorem, non esset proprie blasphemus, cum hic nullus sit respectus ad Deum, sed, si ista profertur ex odio & indignatione, peccaret mortaliter contra duliae & observantiam debitam Sanctis; si autem ex joco, vel levitate, esset peccatum veniale.

Itaque blasphematur 1. (Ib. ad 3.) denegando Deo, quod ipsi convenit; vel asserendo de eo, quod ipsi non convenit: & hoc sive fiat enuntiative, sive optative, sive imperative, sive sermone imperfecto, ut dicendo: Deus est injustus, Deus non curat res humanas, utiam non puniat peccata, non sit omnipotens, aut omniscius, pudeat ipsum ista facere, dispareat, sit maledictus! Vah! Dei potentiam: Vah! qui destruis templum Dei, &c. 2. Tribuendo, quod ei convenit, sed irrisorie & quasi quid vituperabile, ut nominando contemptibiliter membra Christi, aut Sanctorum. 3. Tribuendo creaturae, quod est proprium Deo, omnipotentiam; quia, quod est proprium Deo, Deus est: tribuere ergo creaturae, quod est proprium Deo, est Deum dicere creaturam. 4. Nominando contemptibiliter Sanctos, & res sacras. 5. Facitis aequivalentibus verbis contumeliosis, ut spure in Crucifixum, in Imagines Sanctorum, projicere sanguinem in caelum, ut fecit Julianus Apostata.

Dico 2. (Ib. o.) Blasphemiam dividitur 1. in haereticalem & non haereticalem: haereticalis est, quae asserit aliquid contrarium fidei, aut negat aliquid ad fidem pertinens. Non haereticalis est, quae licet nihil contra fidem aperte contineat, ea tamen, quae sunt fidei, contemptibiliter & contumeliose, quasi essent vituperabilia, profert. Dividitur 2. Blasphemia in eam, quae est secundam opinionem, seu errorem intellectus tantum, non adjuncta detestatione, seu odio voluntatis, ut dum Calvinista dicit, Deum esse causam peccati: in eam, quae est sola detestatione voluntatis, seu odio in Deum absque errore saltem explicito intellectus, ut qui profert contumeliosè caput, aut sanguinem Christi: & in eam, quae simul est secundum falsam opinionem intellectus & malitiam voluntatis, seu Dei odium & haec est perfecta & completa Blasphemia. Prima & tertia, ut patet, sunt haereticales, non secunda. Quantum ad praxim observant communis Auctores, quod, quantum inter Blasphemias haereticales & non haereticales sit differentia essentialis; accusandi tamen sunt in Confessione diversi modi Blasphemiae, an fuerint directè contra

Deum, an contra Sanctos tantum: in Sanctos, an contra B. Virginem: item, an fuerint ex intentione expressa inhonorandi Deum, an ex implicita tantum, an tributum sit Deo quod non habet, aut negatum quod habet, aut exprobratum, quod habet, &c. idque propter graviolem malitiam in uno modo, quam in alio.

Dico 3. (Ib. a. 2. o. & ad 3.) Blasphemia est ex genere suo gravissimum peccatum mortale: nec fieri potest veniale ex parvitate materiae, sed solum ex indeliberatione involuntaria acris. Patet 1. Pars (Ib. in a. s. c.) ex gravissimis poenis, quibus punitur. In veteri Lege Levit. 24. Blasphemus lapidabatur: in Jure Canonico plures poenae statuuntur contra Blasphemos, quas si refugiant, sepultura Ecclesiastica sunt privandi cap. Statutum Tit. de maledictis & alibi. (Ib. o.) 2. Quia graviter repugnat charitati, cum sit contra excellentiam divinae bonitatis: item opponitur Fidei & Religioni, ut mox dicam. Patet etiam 2. Pars; quia, quantumvis quid secundum se leve dicatur, ut Deus dehonoretur & vilipendatur, est semper gravissimum malum.

Patet pariter 3. Pars; (Ib. ad 3.) quia in omni genere peccati indeliberatio involuntaria excusat a toto, vel tanto peccato; quia ex ea fit, quod actus non sit perfecte humanus. Unde, si quis subito ex aliqua passione prorumpat in verba Blasphemiae, priusquam attendat ad eorum significationem, peccat tantum venialiter, & non est proprie Blasphemia. Dixi: Indeliberatio involuntaria; quia, si sit ex consuetudine, quam Blasphemus non curat pro viribus eradicare, non excusat a mortali; quia est voluntaria in causa, scilicet in ista consuetudine voluntaria. Ad hoc advertant Confessarii.

Petes, cui virtuti opponatur Blasphemia? R. 1. (Ib. a. 1. o.) Certum est, Blasphemiam exteriorem haereticalem opponi Confessioni fidei: quia, sicut Confessione fidei asseritur aliquid conveniens divinae excellentiae, ita Blasphemia exterior asseritur aliquid illi repugnans. Et de sola hac Blasphemia haereticali Auctorem loqui hic a. 1. plures censent; quia in aliis Blasphemiis nihil falsi continetur. Alii tamen volunt, etiam in aliis Blasphemiis falsum contineri, sicutque opponi etiam Confessioni fidei: quia, quamvis in eis vera de Deo profertur Blasphemus, illa tamen reputat, vel vituperabilia, quae non sunt, vel possibilia, quae fieri non possunt, vel decentia, quae non decent; & sic in iis est falsum, scilicet ex intentione blasphemantis. R. 2. Omnis Blasphemia opponitur Religioni; quia Religio habet pro objecto formali cultum & honorem Deo reddendum; blasphemiam vero Dei inhonorat. Nec obstat, si opponatur Confessioni fidei, ut dictum est. Potest enim idem virtum opponi diversis virtutibus sub diversa ratione: sic itaque blasphemiam opponitur Confessioni fidei, quatenus continet implicitè, vel explicitè falsum de Deo; opponitur Religioni, quatenus est Dei inhonoratio. Advertant Confessarii, dum audiunt blasphemiam haereticalem, interrogare Poenitentem, an interius senserit, sicut expressit. Si sic enim, cum sit haeresis interna & externa, a nullo absolvi potest nisi a summo Pontifice, vel ejus delegato.

TRACTATUS DE REGULIS FIDEI

Numerantur quinque Regulae fidei: scilicet, Scriptura & Traditio: Tres animatae, scilicet, Ecclesia, summus Pontifex, & Concilium generale.

DISSERTATIO I DE SCRIPTURA SACRA.

ARTICULUS I

Quid sit, & an sit Scriptura Sacra?

Scriptura Sacra variis nominibus insignitur. In primis dicitur Scriptura Sacra, seu Littera Sacra, tum ratione Auctoris, qui est Deus; tum ratione materiae, quae sunt Mystera fidei. 2. Dicitur Testamentum; quia Deus in ea nobis declarat suam voluntatem, & filii hereditatem relinquunt, scilicet beatitudinem aeternam. 3. Dicitur Biblia, id est libri antonomastice. Theol. Billuart. Secunda Secunda.

Dico 1. Scriptura Sacra est verbum Dei scriptum. Intellige To Dei, non per modum puri genitivi, ut cum dicitur Liber Petri, sed per modum genitivi causantis, ut cum dicitur Lex Caesaris, Testamentum Petri; ita ut sensus sit, quod Scriptura sit verbum Dei ab ipso scriptum, non immediate per se, sed ipso dicente per Scriptorem Sacrum, tanquam per calamum vivum. Unde David Ps. 43. se vocat calamum scribae velociter scribens. Itaque To verbum Dei in hac definitione est genus, in quo convenit Scriptura Sacra cum Traditionibus. Per

hanc autem particulam, *Scriptum*, ab illis differt: quamvis enim Traditiones possint scripto mandari, vel a Patribus, vel a Conciliis, vel a Pontificibus, non tamen sunt Verbum Dei ab ipso scriptum. Similiter, si Deus approbaret aliquem librum, licet foret infallibilis auctoritatis, non esset tamen Verbum Dei scriptum, nec Scriptura Sacra.

Dico 2. Existit Scriptura Sacra Divina. Prob. 1. auctoritate infallibili Ecclesie, que in variis Conciliis, & ultimo in Trid. Scripturam, quam habemus proponit nobis, ut Sacram & Divinam: ergo. Supponit argumentum infallibilitatem Ecclesie, de qua infra.

2. Illa Scriptura est verè Divina 1. que plura futura longe antè prædixit, prout revera & adamussim fuerunt postea impleta. 2. Que mirabili & stupendo modo annuntiata est, & propagata in toto mundo per homines pauperes, rudes & idiotas, quamvis plura contineret supra rationem & contraria sensibus. 3. Quæ infinitis propè miraculis est confirmata. 4. Quæ innumerabilium martyrum sanguine fuso est sigillata & defensata. 5. Quam tot populi, tot Nationes, repugnantè licet natura, contradicentibus Principibus, Magistratibus & Philosophis, acceperunt. 6. Denique, que est adeo pura, ac sancta, ut nihil nisi malum prohibeat, nihil nisi bonum jubeat; atqui hujusmodi est Scriptura, quam dicimus Sacram, & Divinam; pro quo vide, que latius dixi de motivis credibilitatis fidei nostræ: ergo.

3. Deus est necessariò ab hominibus colendus, ut Auctor nature & gratiæ: nec autem homo, qua ratione, quo ritu Deus velit coli, nisi Deus ipse manifestet: id ergo Deus manifestavit hominibus. At quomodo manifestavit? vel per spiritum privatum, vel per viros sanctos, Prophetas & Apostolos a se delegatos? Non per spiritum privatum, quia non est certus sed varius, & sæpè sibi contrarius, unum uni suadens, alteri oppositum, ut patet in Hereticis, qui eo ducuntur: ergo per viros sanctos a Deo sibi revelatas litteris mandaverunt, & nobis transmississent.

Dico 3. Apost. 2. Cor. 3. dicit: *Idoneos nos fecit Ministras novi Testamenti, non littera, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem vivificat*: ergo non datur Scriptura, sed id solum pro verbo Dei habendum est, quod cuique privatim inspirat. R. N. Conseq. per litteram enim Apost. intelligit Legem Mosaycam, & per spiritum gratiam novæ Legis. Sensus igitur illius est: Idoneos non fecit Ministras novi Testamenti, non nudam legem vobis proponendam, sed etiam conferendo gratiam, qua lex impleatur, quantum ad prædicationem nostram Deus vobis gratiam infundit. Littera enim, id est, lex, occidit occasionalitèr, dum difficulta præcipiendo gratiam illa adimplendi ex se non confortat; spiritus autem, id est, gratia, vivificat, quatenus confortat vim adimplendi præcepta, & sic perveniendi ad vitam.

ARTICULUS II.

Utrum singula Scripturæ verba sint à Spiritu S. dictata?

Suppono, omnes Scripturæ sententias esse a Spiritu S. inspiratas & dictatas: juxta illud 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*; & alioquin omnis Scripturæ naturæ auctoritas: posset enim sententiis non revelatis subesse falsum; & cum incertum foret, que essent inspiratæ, & que non, nulli certò fides adhiberi posset. Quæstio est igitur, an non solum sententiæ, sed phrasæ, stylus, singula verba sint a Deo inspirata & dictata?

Dico. Probabilis videtur, ad rationem Scripturæ sacræ requiri, quod non solum sensus & sententiæ, sed etiam singula verba sint a Spiritu S. dictata. Est communior, quam fecit suam Academia Lovaniensis in sua censura contra Lessium Prob. 1. Ex Scriptura. Jerem. 26. Judæis quærentibus, quomodo Baruch ex ore Jeremiæ hos sermones scripsisset, respondit Baruch: *Ex ore suo loquebatur quasi Legens ad me omnes sermones istos; & ego scribēbam in volumine atramento*; ubi *Legens* innuit etiam verba ipsi a Deo inspirari. Ps. 44. *Scriptor Sacre se dicit Calamam scribē velocitèr scribentis*, id est, Spiritu S.: calamam autem nulla verba scribit, nisi ad que movetur a scriba. Christus Matth. 5. attendit ad tantum jota, & unum apicem tanquam ad quid divinum. Apost. 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura*, inquit, *divinitus inspirata utilis est*, &c. Non dicit: omnis doctrina, omnis sententiæ, sed omnis Scriptura.

Prob. 2. Ex Patribus S. Chrysost. hom. 22. in Genes. *Nihil hæc scriptum est*, inquit, *quod non multis sensuum ha-*

beat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt; neque vel syllaba, vel apiculus est in sacris Litteris, in cuius profundo non sit grandis thesaurus. Aug. Ep. 14. dicit, *se nullius hominis libris tantum deferre, quantum divinis Litteris, non ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba phrasique dictantis, qui est Spiritus S. S. Greg. in præfatione moralis Exposit. in Job dicit, *Ipsæ hæc scripsit, qui hæc scribenda dicitavit*. Prob. 3. ratione. Scriptura sacra est Scriptura Dei, seu verbum Dei a Deo scriptum, ut diximus Art. præced. atqui, si Deus diceret tantum sensus & sententiæ, non ipsa verba, scriptori, quo tanquam calamo utitur, non poterit dici Scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, eo scilicet modo quo scribit, sed erit Scriptura hominis, & verbum ab homine scriptum, ut patet: ergo.*

Confirm. Sensus & sententiæ definitionum, quas edunt Concilia generalia, sunt dictatæ & inspiratæ a Deo juxta illud Apostolorum in 1. Concilio: *Visum est Spiritui S.*; atqui tamen non sunt Scriptura sacra, quia nempe verba non dicuntur a Spiritu S. sed relinquuntur arbitrio hominum: ergo. Confirm. 2. Epistola, cuius Rex dicitur sensus & sententiæ, sed ipse tam non scripsisset, posset quidem dici Epistola & mandatum Regis, hoc est, nomine & jussu Regis scriptum, sed non esset Scriptura Regis, nec verbum a Rege scriptum: ergo similiter, licet Deus inscriberet sensus & sententiæ alicujus libri, si tamen ipse non scriberet, eo saltè modo, quo scribit dictando verba homini, quo utitur tanquam calamo, iste liber poterit dici mandatum, aut etiam si vis, Epistola Dei, id est, nomine Dei scripta; sed non erit Scriptura Dei, nec verbum a Deo scriptum.

Solentur objectiones.

Obj. 1. Ad verum alicujus verbum, ab altero prolatum, vel scriptum, sufficit, ut ad illud referatur omnis sensus, nihilque asseratur, nisi quod principalis ille dixit, aut dicitur, etsi non isdem verbis materialibus ergo pariter ad essentiam Scripturæ sufficit, quod Deus omnem veritatem scribendam mandaverit, etsi singula verba non dicitaverit. Prob. Ant. Ipse Christus & Evangelistæ citando Scripturas, ut Verbum Dei scriptum, sæpè sensum tantum referant, & non ipsa verba. Ex pluribus hæc duo exempla accipe. Matth. c. 3. v. 17. loquens de Baptismo Christi, dicit: *Et ecce vox de caelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Lucas verò c. 3. v. 22. dicit: *Et vox de celo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi*: & tamen una tantum vox, non utraque audita est. Item Christus Matth. 26. citans Zachariam Prophetam dicit: *Scriptum est enim: Percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis*; cum tamen apud Prophetam cap. 13. v. 7. *Percute Pastorem & dispergentur oves*: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Christus & Evangelistæ, citando Scripturas ut Verbum Dei, sæpè tantum sensum referunt & non verba, referendo de præterito, C. Sic enim intelligitur referri tantum substantiam verborum: ascendero de presenti, N. Sic enim intelligitur ipsa verba referri. Solutio fundatur in sensu & intelligentia communi; si enim referendo factum, vel dictum præteritum dicam: iste dixit hæc, scripsit hæc; audientes intelligunt hæc dixisse, aut scripsisse, quoad substantiam, & non quoad ipsa verba. Unde, si duo narrantes idem factum, vel dictum præteritum conveniant in sensu, licet non in verbis, dicuntur idem narrare. At, si dicam de presenti: Hæc sunt verba Petri: Hæc sunt verba tua; designo non tantum sensum, sed etiam ipsa verba, & sic audientes intelligunt. Cum ergo, & Christus & Evangelistæ referant de præterito, sufficit, ut sensu conveniant. At dicimus de presenti: Scriptura sacra est Scriptura Dei, est Verbum Dei, & a Deo scriptum; quod non potest verificari, nisi etiam verba ipsa scripserit, seu dicitaverit.

Obj. 2. Eodem sensu dicitur Scriptura divina, quo sensu dicuntur Litteræ Regiæ, Bullæ Pontificiæ, &c.; atqui Litteræ dicuntur Regiæ & Bullæ Pontificiæ, quamvis sint tantum quoad sensum & sententiæ dictatæ Secretario, relicta ejus arbitrio verborum forma, modò à Rege, vel Pontifice subsignentur, & sigillo alterutrum muniantur: ergo. R. N. Ant. Sed eo sensu dicitur Scriptura sacra, quo sensu dicitur Scriptura Regis; non est autem Scriptura Regis, nisi ab eo sint verba. Confer. Confirmationem 2. tertie probationis Conclusionis. Vel D. Ant. Eodem sensu dicitur Scriptura sacra, quo dicuntur formalitèr Litteræ Regiæ, C. Quo dicuntur auctoritative Litteræ Regiæ, N. Itaque Litteræ, quarum sensus Rex indicavit, sed

sed quas ipse non scripsit, dicuntur quidem Regiæ auctoritative, quia ejus nomine & mandato sunt scriptæ; at non sunt, nec dicuntur formalitèr Litteræ Regiæ, si ipse eas non scripserit. Jam autem Scripturæ est & dicitur formalitèr Scriptura sacra, & Verbum Dei scriptum.

Obj. 3. Auctor 2. libr. Machab. in fine petit veniam, si quid minus dignè scripserit: similiter Auctor Ecclesiastici in Prologo, & in fine ejusdem Prologi dicit se & laborem & diligentiam & multam vigiliam adhibuisse ad compositionem sui libri. Hæc autem non dicerentur, si Spiritus S. dicitaret sacris Scriptoribus omnia & singula verba. Item Apost. 1. Cor. 7. dicit: *Præcipio, non ego, sed Dominus*: & paulò post: *Cæteris dico ego, non Dominus*: ergo non ex Spiritu S. sed ex seipso hoc ultimum profert. Item S. Lucas in præfatione ad suum Evangelium dicit, se scripturam, que audivit ex ore Apostolorum: sic etiam Marcus scripsit Evangelium. Alii Evangelistæ dicunt, quandoquæ se vidisse, que referunt; atqui in his non erat opus, ut verba singula dicerentur a Spiritu S.: ergo. Item S. Paulus 1. Timoth. 4. petit a Timotheo, ut adterat secum Penulam (est autem Penula palliolum contra pluvias); sæpè salutatur hæc et illum, plura refert, que ipsum personalitèr spectant. In his autem non videtur Spiritu S. dicitasse singula verba: ergo.

Respondent quidam, quod, quamvis ut plurimum verba Scripturæ sunt a Spiritu S. dictata, sæpè tamen præsertim in familiaribus & notis, permittit sacris Scriptoribus, ut utantur pro arbitrio verbis suis, cum speciali tamen assistentia Spiritus S. ne quid falsum, aut indecens proferant. Sed contra: Ex hæc responsione sequitur, quod Libri Canonici non sint Scriptura sacra quoad omnes suas partes, cum tamen Ecclesia in Concil. Trid. Sess. 4. cap. 1. omnes nobis proponat, ut Scripturam sacram in singulis suis partibus; & ita apprehendant omnes fideles. Unde hæc solutio omissa, R. 1. Ex his argumentis, ut plurimum pariter inferri, etiam ipsas sententiæ non esse a Deo dictatas, ut attendenti patebit, ideoque cum nimis probent, nihil probant.

R. 2. ad singula. Ad 1. N. Min. Spiritus S. enim se accommodavit genio, stylo, & affectionibus cujusque Scriptoris sacri, sique occurrit dictando singula, ac si ipse Scriptor de suo scripsisset. Hic quidem calamus Spiritus S. sed calamus vivus & liber, quem ideo secundum ejus modum movet Spiritus. Hoc itaque posito: Spiritus S. movit Auctores 2. Machab. & Ecclesiastici, ut peterent veniam, non de falsitate, sed de stylo minus polito, ut forte nonnullis videbatur, idque præ modestia & secundum loquendi modum Scriptoribus familiariter. Quamvis ad laborem in scribendo, ad eum movit Spiritus S. Aliter potuit Scriptor ignorare, se a Spiritu S. moveri. Ad 2. N. Conseq. Sensus enim Apostoli est, quod Dominus non dicit ut Dominus præcipiendo conjugi ad fidem convertere, ut maneat cum uxore infidelis, potest enim illam deserere; sed quod ipse Paulus id consulat, consilio tamen quod sit a Spiritu S. Unde ibidem postea dicit: *Puto autem quod & ego Spiritu Dei habeam*. Ad 3. N. Min. Id enim necessarium erat, non solum ad certitudinem supernaturalem, que longè major est certitudine sensuum; sed etiam, ut que scriberent, haberent dignitatem Scripturæ sacræ. Movit autem Spiritus S. ut etiam significarent se vidisse, non ut indè major certitudo secundum se haberetur, sed respectivè ad Ethnicos, quibus ignotus erat Spiritus S. Si namque Apostoli evangelizando Gentibus dixissent simpliciter: Hoc revelavit Spiritus S. nihil obtinissent: sed dicendo: testamur, quod contractavimus, fidem audientium sibi conciliant, ut postea instructi credant propèr Dei revelationem. Ad 4. N. Min. Ut enim diximus, Spiritus dicitator se accommodavit genio, desideris, affectionibus & necessitatibus scribentium, quasi de suo scriberent.

Inst. Sicut Deus non deest in necessariis, ita nec redundat in superfluis; atqui superfluum videtur, quod Deus de novo supernaturalitèr infundat, quod jam naturalitèr notitia cognitionem erat sacris Scriptoribus: ergo. R. 1. Hoc argumento probari, nec ipsas sententiæ a Spiritu S. fuisse dictatas. 2. N. Min. Id enim, ut jam dixi, necesse erat, ut narrata haberent certitudinem fidei, & dignitatem Scripturæ sacræ. Si reponas, ex sola inspiratione sententiarum haberi certitudinem supernaturalem: ita quidem, sed non habetur dignitas & excellentia Scripturæ sacræ. Sicut, si Deus approbaret aliquem librum, esset quidem certitudinis infallibilis, non esset tamen Scriptura sacra: idem dic de definitionibus Conciliorum; ut jam observavimus.

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Obj. 4. Traditio divina est etiam verbum Dei; atqui in Traditione divina non dicuntur singula verba: ergo. R. N. Min. de Traditione divina in suo fonte. Nunc quidem Traditio dicitur, non quod singula verba sint in Ecclesia, sed quia derivatur ab illis verbis: nec aliud intelligitur, quando dicitur: hoc, vel illud est Traditio. Sic cum dico v. gr. Traditio est, quod Liber Job sit Canoniceus, nemo apprehendit, quod Deus dixerit hæc verba: *Liber Job est Canoniceus*, sed quod id substantiatèr declaravit. At quando dicimus: hæc est Scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, omnes intelligunt non solum sensum, sed etiam verba esse a Deo.

Obj. 5. ex Patribus S. Basilii l. 5. contr. Eunon. c. 17. in hoc ponit discrimen inter Spiritum S. & Scriptorum creatum, quod Scriptor creatus non semper ea, que Dei sunt, loquitur, sed quandoquæ sua; quæcumque autem Spiritus loquitur, sunt Dei. S. Aug. l. 2. de consensu Evang. c. 14. dicit de Evangelistis: *Variant locutiones, sed non tamen substantias*. Et S. Th. 2. 2. q. 176. a. 2. ad 1. dicit, Epistolam S. Pauli ad Hebræos, hebraicè scriptam, esse elegantiorum aliis ejusdem Apostoli Epistolis græcè scriptis; quia *quantum ad ornatum & elegantiam locutionis... instructus erat in propria lingua, non in aliena*: ergo. R. ex his nihil evincit pro sententiæ opposita. Ad 1. Sensus Basilii est, quod, quamvis Scriptor creatus loquitur, etiam quoad verba materialia, ex motione & inspiratione; quædam tamen quandoquæ profert, que non scit ex revelatione, sed vel ex auditu, vel visu, vel scientia humana; at verò Spiritus S. nunquam loquitur nisi ex divina æternaque scientia. Adde, hoc argumento probari, non solum non omnia verba, sed nec omnes sententiæ esse a Deo inspiratas. Ad 2. dicit Aug. Evangelistæ variare locutiones, sed non negat, id fieri ex motione Spiritus S. Ad 3. nihil aliud ex verbis S. Th. colligi potest, quam quod Spiritus dicitator se genio & stylo Pauli scribentis hebraicè accommodaverit.

ARTICULUS III.

De Divisione Scripturæ Sacre.

Scriptura sacra dividitur in vetus & novum Testamentum. Vetus Testamentum est collectio librorum sacrorum, qui promittunt liberatorem venturum cum præceptis antiquæ Legis. Novum Testamentum est collectio librorum sacrorum, qui promissum liberatorem presentem exhibent cum præceptis novæ Legis. Libri Canonici veteris Testamenti erant olim juxta Canonem Judæorum 22. tantum, secundum numerum litterarum Alphabeti Hebraici. Juxta verò Canonem Ecclesie sunt 45. scilicet Pentateucus, seu quinque libri Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon; Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Ether, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, 12. Prophetæ minores, id est, Osee, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus, omnes numero 45.

Libri novi Testamenti sunt 4. Evangelii, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, 14. Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, Apocalypsis Joannis Apostoli, omnes numero 27. Summatim tamen veteris, quam novi Testamenti sunt 72. Ita Trid. Sess. 4. c. 1. Ubi, post recensitos hos omnes libros, prout recensimus, sic statuit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris & Canonice non susceperit... anathema sit*.

Hunc porro Canonem, seu numerum librorum Canoniceorum Concil. Trid. Patres acceperunt ab Eugenio IV. in Conc. Florentino, Eugenio IV. a Gelasio Papa in Concilio Romanorum 70. Episcoporum, Gelasio ab Aug. l. 2. de Doctr. Christ. c. 8. Augustinus ab Innocentio I. ann. 405. Ep. 3. ad Exuperium; in qua scribit, hos omnes libros ut divinos & canonicos esse suscipiendos secundum Traditionem ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam.

E 2 In-

Innocentius a Concilio Carthaginiensi 3. Can. 47. & ex Traditione, ut dicit. Observandum duntaxat, in Concilio Carthaginiensi non fieri mentionem libri Baruch, quia sub Jeremia, cujus erat Amanuensis, comprehenditur; & idem solebant antiqui illum citare sub nomine Jeremias, ut observat Cano l. 2. de Locis Theolog. Sunt autem apochryphi tertius & quartus liber Esdræ, tertius & quartus Machabæorum, Oratio Regis Manasse captivi in Babylone, Appendix libri Job, ubi describitur ejus Genealogia, Præfatiuncula Thronorum, quæ incipit: *Et factum est*, &c. Epistola Jesu ad Abagarum Regem, Evangelia, quæ sub nomine Andree, Bartholemæi, Barnabæ, Nicodemi, & aliorum circumferuntur.

2. Dividuntur libri canonici, tum veteris, quam novi Testamenti, in Protocanonicos & Deuterocanonicos. Protocanonici sunt, de quibus nunquam fuit dubitatum. Deuterocanonici sunt, de quibus ante Innocentium I. & Concilium Carthaginiense 3. ab aliquibus fuit dubitatum; & hi sunt ex veteri Testamento, Esther, Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Hymnus trium puero-rum Dan. 3. Historia Susannæ & Draconis, Daniel 13. & 14. Oratio Azariæ, Oratio Jeremiæ circa finem Thronorum, 1. & 2. Machabæorum. Ex novo Testamento Deuterocanonici sunt Caput ultimum Marci ab eo loco *Surgens Jesus*, Historia de Sudore Christi sanguineo, & de ejus confortatione per Angelum Lucæ 22. Historia de Muliere adultera Joann. 8. Hæc verba ex Ep. 1. Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt*; tota Epistola S. Pauli ad Hebræos, Epistola Jacobi & Judæ, secunda Petri, tertia Joannis, ac tandem ejusdem Apocalypsis. Cæteri omnes, hic non nominati, sunt Protocanonici.

Petes, utrum Libri Deuterocanonici sint æqualis auctoritatis, ac Protocanonici. R. affirmative; quia tam in illis, quam in istis, est eadem prima veritas loquens, & eadem infallibilis Ecclesia proponens. Neque obstat, quod de Deuterocanonis aliquando fuerit dubitatum, ut dictum est; istud enim dubium non fuit positum ex parte Ecclesie, quasi illos judicasset, aut declarasset dubios, sed ex parte quorundam Patrum; quod dubium in illis aliquamdiu toleravit Ecclesia, donec tandem, re plenius discussa & elucidata Traditione, illos in Canone inseruit.

ARTICULUS IV.

De variis Scripturæ sacræ Versionibus.

Suppono 1. Vetus Testamentum originaliter scriptum fuisse hebraicè, exceptis libris Tobie, Judith, Esdræ, & Danielis, qui tempore captivitatis Babylonicæ fuerunt scripti Chaldaica lingua Babylioniorum. Excipitur etiam liber secundus Machabæorum, qui juxta Hieron. scriptus est græcè: quidam idem opinantur de libro Sapientie, erat enim lingua Græca familiaris Judæis. Novum autem Testamentum scriptum est primitus græcè, excepto S. Matthæi Evangelio, quod fuit scriptum hebraicè, seu Syriacè. Idem tenent de Ep. ad Hebræos Hieronymus, Theodoretus, & alii communiter contra Originem & Clementem Alexandr.

Suppono 2. Scripturam sacram veteris Testamenti hebraicè scriptam, tempore captivitatis Babylonicæ, non quidem ex integro perisse, ut quidam dicunt, sed ex parte fuisse dissipatam & vitiatam, & ab Esdra, sancto Spiritu afflato, post captivitatem fuisse restitutam. Suppono 3. Nulla nunc Scripturæ sacræ extare autographa, seu textus originales, sed apographa tantum, seu exemplaria, & versiones in alias linguas. Præcipuæ versiones sunt Chaldaica, Syriaca, Græca, & Latina.

Versio Chaldaica.

Versio, seu potius Paraphrasis, Chaldaica veteris Testamenti facta est a tribus Rabbis, juxta quosdam 42. circiter annis ante Christum. At alii, ex silentio Origenis, Epiphani & Hieronymi de Paraphrasi Chaldaica, colligunt non extitisse ante tempora Hieronymi: sed quidquid sit, constat, nullius esse auctoritatis, cum seateat Judæorum fabulis & Thalmudistarum nugis. Est autem discrimen inter Versionem & Paraphrasim, quod in versione verba Auctoris transferantur in aliud idioma de verbo ad verbum; in Paraphrasi autem magis sensus de sensu, quam verbum de verbo, exprimitur. Unde hæc Paraphrasis Chaldaica vulgo vocatur *Targum*, id est, interpretatio.

Versio Syriaca.

Syriaca Lingua nata est apud Judæos captivos ex Hebraica & Chaldaica; cum enim discerent linguam vernaculam Babylioniorum, quæ erat Chaldaica, nec facile illam pronuntiarent, sed aliquid de suo Hebraismo retinerent, effecta est tertia lingua ex utraque mixta, quæ a Regione dicta est Syriaca, & quæ postmodum fuit vulgaris, & materna apud Judæos e captivitate reduces, dictaque est Hebraica. Illa Christus & Apostoli usi sunt: in ea Evangelium Matthæi & Epistola ad Hebræos fuerunt scripta. Extare versionem Syriacam veteris Testamenti, certum est: at quo, vel quibus Auctoribus, & quo tempore prodierit, incertum est.

Versio Græca.

Multe fuerunt Versiones Græcæ. Prima & præcipua est, quæ dicitur 70. Interpretum; quamvis enim fuerint 72. atamen numero rotundo dicuntur 70. Anno itaque ante Christum natum circiter 230. instante Ptolomæo Philadelphio Rege Ægypti, Eleazarus Judæorum Pontifex ad ipsum misit 72. Judæos hebraicè & græcè peritissimos, se ex qualibet Tribu, qui libros veteris Testamenti ex Hebræo in Græcum veterem, novæ & locupletissimæ Regis Ægypti Bibliothecæ annumerandos. Itæ refert Aristæus unus ex Legatis Ptolomæi ad Eleazarum. S. Irenæus l. 3. c. 35. S. Justinus in Orat. Exhortat. ad Gentes, Clemens Alexandr. l. 1. Stromat. S. Cyrillus Catechesi 4. & alii Patres communiter dicunt, singulos in singulis cellulis inclusos insignt miraculo Scripturam ex hebræo græcè iisdem planè verbis reddidisse. Addit Justinus, se apud Alexandriam cellularum vestigia vidisse. Atamen hanc historiam ridet & negat Hieronymus l. 2. contr. Ruf. in Præfat. in libros Paralip. ubi ait: *Nescio, quis primus auctor Alexandriæ 70. cellulas mendaciter suo struxerit*. Nihil autem Hieronymus testimonio Aristæi, qui præsens erat, & rem totam prout vidit referens, cellularum non meminit; sed e contra dicit, *quod singulis diebus usque ad horam nonnam conferendo suam interpretationem absolverunt*. Extat liber Aristæi in Bibliotheca Patrum Tomo 7. & ne diceretur ab aliquo juniore suppositus, plura ex illo citant Joseph, Philo Eusebius, & alii, quæ in eo de verbo ad verbum leuntur.

Cæterum, vera sit aut falsa hæc Historia omnes saltè conveniunt, hanc versionem non, sine speciali Spiritus S. assistentia fuisse peractam tum propter mirabilem tot hominum in eadem sententias, & in eadem verba consensum, qui humanitus videtur impossibilis; tum quia opus integrum brevissimo tempore, spatio scilicet 72. dierum perfecerunt. Neque enim solum Pentateuchum, ut quidam putant, interpretati sunt, sed omnes libros veteris Testamenti, exceptis forte duobus libris Machabæorum & Ecclesiasticis, quos quidam censent nondum tunc fuisse conscriptos. Id autem constat; quia Christus, Apostoli, & Evangelistæ citant Psalmos & Prophetas juxta versionem Septuaginta; & ipse Hieronymus commentans in Prophetas passim citat versionem Septuaginta, eamque explicat; & l. 2. adversus Ruf. c. 7. *Universi tractatus mei*, inquit, *horum testimoniiis texti sunt: Commentarii in 12. Prophetas & meam & Septuaginta editionem edisserunt*. Unde, cum in Procemio in Traditiones Hebraicas, & in cap. 16. Ezech. videtur dicere contrarium, vel loquitur ex aliorum sententia, vel subdubitan, re nondum plenè discussa. Adde, quod non sit verisimile, Ptolomæum, voluminum Hebræorum novæ Bibliothecæ suæ inserendorum cupidissimum, solo Pentateucho fuisse contentum, & alios non expectasse.

Neque his obstat, quod Aristæus, & quidam alii antiqui dicant, a Septuaginta translatis fuisse libros Legis, qui sunt Pentateuchus. Nominem enim librorum Legis non veniunt soli libri Moysis, sed omnes libri veteris Testamenti. Sic Christus Joann. 10. dicit: *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia ego dixi, Dii estis*, Et cap. 15. *ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*; quæ tamèn in Psalmis leguntur. Et Apostolus 1. Cor. 14. citans Isaiam, in *Lege*, inquit, *scriptum est*.

Secunda Versio græca est Aquilæ circa ann. Christi 130. Tertia Theodotionis circa ann. Christi 184. Quarta Symmachii circa ann. Christi 200. Aquila natione Græcus ex Christiano factus est Judæus: Theodotion ex Christiano factus Marcionita, deinde Judæus: Symmachus Samaritanus, tum Judæus, exinde Christianus, ac tandem Ebonita. Unde

co-

eorum versiones quoad ea, quæ spectant capita fidei, nullius sunt ponderis. Quinta Versio græca est anonyma inventa in Jericho, unde dicta Jerichitima. Sexta etiam anonyma reperta Nicopoli, unde dicta Nicopolitana.

Ad faciorem omnium harum versionum usum, Origenes fecit *Tetrapla*, *Exapla*, & *Octapla*. *Tetrapla* sunt volumina, cujus qualibet pagina constat 4. columnis. Prima continet versionem Septuaginta, secunda Aquilæ, tertia Symmachii, quarta Theodotionis. In Exaplis qualibet pagina habet 6. columnas, in quarum prima reponitur textus hebraicus literis hebraicis; in secunda idem textus græcis characteribus: in quatuor aliis quatuor priores versiones. In Octaplis qualibet pagina habet 8. columnas: in sex primis continetur quæ in Exaplis, in duobus ultimis quinta & sexta versiones anonymæ. Deinde, cum versio Septuaginta in multis esset adulterata, Lucianus Martyr novam versionem aggressus est, quæ fuit in usu a Constantino-poli ad Antiochiam, ut testatur Hieron. in Præfat. in Paralip. Item alteram adornavit Hesychius Presbyter Jerosolymitanus, plurium Monachorum Pater: seu potius uterque versionem Septuaginta in multis corruptam emendavit. Unde a pluribus eorum versiones non distinguuntur a versione Septuaginta.

Versio Latina.

Innumere fuerunt, teste Hieron. in Præfat. in Josue, & Aug. l. de Doctr. Christ. c. 11. versiones Latine. Sed inter illas una erat præcipua & in communi usu Ecclesie, cujus Auctor ignoratur. Augustinus vocat *Italiam*, quia Latine, Hieronymus *Communem*, Gregorius *Veterem*, & *Vulgatam*. Alteram adorsus est Hieronymus, qui vetus Testamentum ex Hebræo transiit in latinum, & novum latinum emendavit, atque Græcæ fidei restituit, ut ipsemet dicit in fine libri de Script. Ecclesiasticis. *Novum Testamentum*, inquit, *Græcæ fidei restitui, vetus juxta Hebraicum transiit*. Et hæc versio, seu editio Hieronymi dicta est nova. Hæc due Versiones aliquam contentionem interiam subministrarunt, dum unaqueque suos haberet factores. Augustinus cit. cum pluribus stabat pro Italia, seu veteri quoad vetus Testamentum; quia, ut dicebat, erat *verborum tenacior cum perspicacitate sermonis*. S. Isidorus autem cum aliis stabat pro nova S. Hieronymi: donec tandem paulò post tempora S. Gregorii, qui adhuc utraque utabatur, ex his duabus una conflata, quæ dicta est *Vulgata communis*, qua nunc utitur Ecclesia; non sic tamèn, quod in singulis libris utraque sit permixta, sed quia in ea aliqua veteris Testamenti leguntur ex versione S. Hieronymi, scilicet Pentateuchus, libri Josue, Ruth, Regum, Paralipomenon, Tobie, Judith, Esther, Esdras, Prophete omnes, Cantica Canticorum, Proverbia, Ecclesiastes & Job; cæteri ex versione antiqua, seu Itala; excepto quod Psalterium, quamvis sit ex eadem versione, legatur in emendatum a S. Hieron. Quantum ad novum Testamentum totum est ex versione antiqua, sed ut emendatum & græcæ fidei restitutum a S. Hieron. jussu Damiani Papæ, ut patet ex ejusdem Hieronymi præfatione in 4. Evangelia. Hæc est itaque *Vulgata Editio*, a tot sæculis communi Ecclesie usu probata & recepta, quam Concilium Trid. Sess. 4. c. 1. declaravit authenticam. Omitto versiones in linguas vernaculas: Tot sunt enim, quot diversæ Nationes, Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, Flandrica, Polona, Anglica, &c. &c.

ARTICULUS V.

De Auctoritate Textus Hebraici & Græci; nec non Editionis Septuaginta.

Suppono, Codices Hebræos & Græcos ante Christum, imò & post Christum ante Hieron. non fuisse notabiliter depravatos; tum quia Christus & Apostoli, qui alia crimina Scribis & Phariseis exprobrarunt, istud falsationis Scripturarum, quod fuisse maximum, non tacuissent: tum quia versio vulgata veteris Testamenti pro majori parte est S. Hieronymi ex hebræo, & novi versionem ideam Hieronymus correxit juxta exemplaria græca. *Vulgata autem Editio est authentica*: ergo hæc usque manserunt integri substantialiter Textus hebraicus & græcus. Unde, dum quidam Patres obijciunt Judæis falsationem Scripturæ, id non est intelligendum generaliter, sed vel de aliquibus particulatibus Judæis falsationibus suis propriis Codices, vel de levibus erratis, quæ moraliter vitari non possunt in tam frequentu codicum descriptione & tanto temporis spa-

tio, sive Scribarum oscitantia, sive ignorantia, sive inadvertentia, præsertim in Hebraicis, ubi aliquando litteræ sunt sibi valde similes: & idem dixi, non esse notabiliter depravatos.

Dico: Textus Hebraicus & Græcus, prout nunc extant, non sunt authenticis, nec irrefragabilis auctoritatis: sunt tamen ad plura utiles. Prob. 1. Pars. 1. Quia Ecclesia suo iudicio irrefragabilis illos non probavit, nec authenticos declaravit, sicut declaravit authenticam Editionem vulgatam. 2. Quia non manserunt integri, sed pluribus & gravibus secent erroribus. Inter alios sequentes accipe: Zachariæ 9. in vulgata legitur: *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filium asinae*, &c. Quibus verbis graphicè describitur adventus Christi in Jerusalem. In Hebræo autem loco *Salvator* legitur *salvatus*, quæ brevi & simplici mutatione totum hoc testimonium de Christo evertitur. Item Ps. 15. v. 10. in Vulgata legitur: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: ex quo S. Petrus Act. 2. Judæis probat Christi Resurrectionem: in Hebræo autem legitur: *Non dabis sanctos tuos ad videndam foetam*; quæ lectione evanescit testimonium Resurrectionis Christi. Item Isaiæ 9. legitur in Vulgata: *Parvulus enim natus est vobis & filius datus est vobis*, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, &c. quæ omnia apprimè verbo incarnato conveniunt. At in Hebræo, pro *vocabitur* legitur *vocabit*, sicque non Christo, sed Deo vocanti conveniunt. Quantum ad Textum græcum inter varios errores desideratur in multis codicibus caput ultimum Marci: item in multis desiderantur hæc verba: 1. Joann. 5. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt*; quod fraude factum notat Hieronymus in præfat. in 7. Epistolas canonicas: in codicibus autem, in quibus hæc verba reperiuntur, loco *Et hi tres unum sunt*, substitutum est: *Et hi tres in unum sunt*; quod de unitate consentientis voluntatis ad sensum Ariarum posset intelligi. Item Josuæ 7. loco, *Nondum erat Spiritus datus*, legitur Græci: *Nondum erat Spiritus Sanctus*.

Prob. 2. Pars. Textus Hebraicus & Græcus sunt utiles, 1. Ad firmandam in multis latinam Vulgatam: 2. Ad corrigendos Typographorum errores: 3. Ad determinandam dubiam Vulgatæ significationem: 4. Dum ex varietate codicum dubitatur, quæ sit vulgata lectio, ex textibus Hebræis & Græcis juvatur ad eam cognoscendam. 5. Valent, ut verborum vis & proprietates melius percipiatur, & quæ sunt obscura & difficilia facilius intelligantur.

Dices 1. contra 1. Partem. Jura præscribunt recurrere ad textus hebraicos & græcos, c. *Ut veterum* D. 9. c. *Jesuitium* D. 76. & c. *De quibus* D. 20. ergo. R. Neque negamus, recurrendum esse ad textus hebraicos & græcos in casibus assignatis in probatione 2. Partis Conclusionis, non verò tanquam ad Regulam infallibilem, juxta quam cuique privato liceat corrigere, vel impugnare lectionem Vulgatæ. Insuper duo primi textus Juris citantur ex Hieronymo, qui loquitur de textibus fontibus, quales erant suo tempore adhuc sinceri. Similiter tertius Textus, qui tribuitur Innocentio I. sedebat enim Innocentius I. tempore Hieronymi. Adde, Innocentium I. per *divinam scripta græca*, ad quæ dicit esse recurrendum, probabilius non intellexisse Textum Græcum Scripturæ, alioquin non omississet Hebraicum, sed scripta Conciliorum & Patrum Græcorum, quæ tunc nondum erant in latinum versa.

Dices 2. Aqua purior est in fonte, quam in rivulis; atqui textus hebraicus & græcus sunt fontes, ex quibus versiones latine tanquam rivuli promanarunt: ergo. R. D. Maj. Aqua purior est in fonte, quam in rivulis; per se, C. per accidens, N. Si enim contingat, fontem turbari, & rivum à fonte sejungi, erit aqua purior in rivo, quam in fonte: sic est autem in casu, fontes hebraici & græci sunt turbati, & ab illis præcisus est textus Vulgatæ.

Quod diximus de textibus hebraicis & græcis, idem dicendum est de versione Septuaginta. Quamvis enim in suo principio fuerit authentica, & etiam aliquamdiu post Christum esset magnæ auctoritatis in Ecclesia, nunc tamen non est authentica, nec irrefragabilis auctoritatis; tum quia Ecclesia non declaravit authenticam; tum quia tempore Hieronymi erat jam notabiliter vitata. Patet ex ipso Hieron. qui in Præfatione in 1. Paralip. dicit: *Si septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in græcum versa est, Editio permanserit, superflua me, Chromati Episcoporum*

sati-

sanctissime atque dilectissime, impelleres, ut hebraea tibi volumina latino sermone transferrem. Et in c. 30. Isaia & 5. Ezech. Datur mihi suspicio, inquit, non eos errasse a principio, sed paulatim scriptorum vitio depravatos. Nec refert, quod Sixtus V. anno 1586. versio graeca Septuaginta a se correcta, jubeat, ut ab omnibus recipiatur, & retineatur: Non enim jubet eam recipi ut authenticam, sed, ut dicit, ut utilem, ad Latine vulgatae Editionis & veterum Patrum intelligentiam.

ARTICULUS VI.

De auctoritate Vulgatae Editionis.

Dico. Vulgata Editio, eaque sola est authentica & certa fidei Regula. Prob. Haec & sola versio est authentica, quam authenticam solemniter decreto declaravit universalis Ecclesia; est enim Ecclesia Regula infallibilis discernendi Scripturam divinam, ut probavimus dissert. 1. praecedentis Tractatus a. 2. & probavimus adhuc infra. Unde illud notum Aug. contra Ep. fundamenti c. 5. *Evangelio non credendum, nisi me commoveret Ecclesiae auctoritas*; atque Ecclesiam solemniter decreto declaravit Editionem vulgatae authenticam, & ita de illa sola pronuntiavit, non de Textibus Hebraicis aut Graecis, nec de quacunque alia versione: ergo. Prob. Min. ex Concilio Trid. sess. 4. c. 1. ubi post enumeratos omnes libros veteris & novi Testamenti, sic decernit: „Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Editione habentur, pro Sacris & Canonice non susceperit... anathema sit. Et cap. 2. Insuper, inquit, sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis Editionibus, quae circumferuntur sacrorum Librorum, quamnam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat, ut haec ipsa vetus & vulgata Editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis Lectionibus, Disputationibus, Praedicationibus & Expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis pretextu audeat, vel praesumat. Et infra: Decernit & statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimum videri haec ipsa vetus & vulgata Editio, quam emendatissime imprimatur.“

Equidem fatemur, Concilium non instituisse comparationem inter Vulgatam ex una parte, & textus originales, ac omnes alias versiones ex altera; sed tantum inter vulgatam versionem & alias versiones latinas, ut patet ex textu, sicque Concilium non reprobase possit & formaliter hoc Decreto textus hebraicos & graecos & versiones alias a Latinis. At nihilominus verum est, quod de sola vulgata, & non de textu hebraico, vel graeco, nec de quacunque alia versione pronuntiaverit, quod sit authentica.

Hanc vocem *Authenticam* a Jure mutuati sunt Theologi. Authenticum autem in Jure est scriptum aliquod, quod ex se fidem certam & infallibilem facit in iudicio, & suprema est auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in questionem veri debeat. Sic v. gr. testamentum, manu Testatoris scriptum & signatum, est authenticum. Item copia, aut versio hujus testamenti, quam Notarii publici, aut Magistratus testantur esse conformem autographo, est authentica: & hoc sensu nostra Vulgata est declarata authentica, id est, conformis in sententia autographo, seu textui originali, consequenter irrefragabilis auctoritatis & certa fidei Regula, tanquam verum Dei verbum.

Dixi, *Regula fidei*, & non *Judex*, quae duo male confundunt Haeretici. Sic v. gr. testamentum defuncti est Regula & norma hereditatis dispensandae: sed, si oriatur inter heredes controversia de vero sensu testamenti, ipsum testamentum non erit *Judex*, sed homo intelligentia & auctoritate praeditus, cui partes litigantes acquiescere tenebuntur. Pariiter verbum Dei, seu Scriptura sacra vulgatae Editionis est Regula & norma fidei: sed, si oriatur controversia de ejus vero sensu, consequenter de aliquo fidei dogmate, non ipsa erit *Judex*, sed Ecclesia aut summus Pontifex, de quo iterum infra.

Dices 1. Si sola Vulgata latina sit authentica, sequitur, quod Ecclesiae Orientales, quae graeca, vel syriaca, vel aethiopica versione utuntur, Scripturam veram & verum Dei verbum non habeant. R. eas posse facile habere corrigendo suas versiones secundum Vulgatam. Nec dubium, quin Ecclesiae Orientales Catholicae id praestiterint.

Dices 2. Vulgata in pluribus non est conformis fontibus hebraicis & graecis: ergo. R. D. Ant. Non est conformis fontibus vitatis, prout nunc extant, C. fontibus pu-

ris, ut olim extabant tempore S. Hieronymi, N. insuper quandoque videntur difformitas, licet nulla sit quoad sensum; aut si sit, inde saepe provenit, quod una vox hebraica, aut graeca habeat plures significationes, quarum unam eligit Interpretes, alteram assumit Lector.

Inst. S. Hieronymus in suis Commentariis quandoque indicat, quaedam potuisse aliter, aut melius verbi, quam sint in vulgata Editione: ergo. R. intelligendum esse Hieronymum de minoribus, quae non variant sensum. Aliunde Ecclesia, quae Spiritu S. regitur, existimavit, Hieronymum plus divinitus adjutum fuisse in sua versione, quam in suis Commentariis, & ideo ejus versionem retinendam judicavit.

Dices 3. Illa versio non est authentica, quae pluribus scaturit mendis & erratis; atque talis est versio vulgata latina: ergo. Propter hoc argumentum gravis est difficultas inter Theologos, in quibus nostra vulgata Editio sit authentica? An in omnibus, an in aliquibus tantum, & in quibus? Omnes conveniunt, esse authenticam in iis, quae spectant fidem, aut mores, sic quod nihil contineat fidei, aut bonis moribus repugnans, ex quo perniciosus error natus sit sequi. Et hinc tria inferit noster Melchior Cano l. 2. de locis Theol. c. 13. Primum, si qua morum & fidei quaestio inter Catholicos exoritur, eam definiti oportere per latinam hanc veterem Editionem. Secundum, in fidei & morum disputatione non esse nunc temporis ad hebraica, graecae exemplaria provocandum, nec eis certam controversiarum fidem esse faciendam. Tertium, in his, quae ad fidem & mores pertinent, non esse latina exemplaria per hebraica, vel graeca corrigenda. Haec celebris & laudatus Theologus.

Sed an hic sistat Editionis Vulgatae authenticitas? Multi affirmant; negant alii, voluntque etiam in historicis & aliis esse authenticam, sic quod nihil fidei contineat. Utriusque Sententiae momenta proponam. Rationes primae sententiae sunt. 1. Quia Trid. cit. postquam declaravit Vulgatam authenticam, jubet; ut posthac emendatissime imprimatur: ergo supponit, in ea esse vita & menda. Et post correctionem Sixti V. & Clementis VIII. adhuc in ea reperitur errata, ut aperte innuit Clemens VIII. in Diplomate suae Editionis praefixo, dicens in hac Vulgata Editione visa esse nonnulla mutanda, quae consulto mutata non sunt, idque communitar agnoscent eruditi. 2. Quia Andreas Vega, qui Concilio Trid. interfuit, l. 5. de justitie. c. 9. dicit, quod Concilium eatens voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam fadatum errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset; atque ideo adiecit, ne quis illam quovis pretextu rejicere audeat. Et addit, quod Cardinalis S. Crucis, qui illi sessioni praesuit, pluries ipsi testatus fuerit, Nihil amplius Patres voluisse firmare.

Rationes 2. Sententiae sunt, 1. quia Trid. Sess. 4. c. 1. jubet sub anathemate, omnes libros Scripturae cum omnibus suis partibus, prout in veteri Vulgata Editione habentur, pro Sacris & Canonice suscipi: ergo nulla pars, nulla propositio continet falsum. 2. Concilium c. 2. statuit, ut nemo illam Vulgatam rejicere quovis pretextu audeat; atque, si falsum contineret, posset rejici in sententia adversariorum, eo pretextu quod neque ad fidem, neque ad mores pertinet. 3. Si Vulgata contineret falsum etiam in minoribus, Ecclesia, quae jubet nos ea uti, & pro sacra habere quoad omnes suas partes, induceret in errorem, etsi non perniciosum: absurdum est autem istud consequens; quamvis enim non sit absurdum, quod aliquis error in iis, quae non spectant fidem, aut mores, irrepit inter fideles, absurdum est tamen quam maxime, quod Ecclesia, quae est columna veritatis, & quam Christus docuit omnem veritatem, inducat fideles in hujusmodi errores. 4. Juxta communem sensum omnium & Theologorum & fidelium, triamque fidei definitionem, omnia revelata in Scripturis sacris, et nobis ab Ecclesia proposita, pertinent ad fidem. Docentur enim omnes, etiam pueri in Scholis, fidem esse donum Dei, ac lumen, quo illustratus homo credit omnia, quae Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposita. Perperam ergo et male Patroni prioris sententiae distinguunt in Scripturis Sacris ab Ecclesia propositis quaedam, quae pertineant ad fidem, et quaedam quae non pertinent. Aut dicant, quid intelligant per pertinentia et non pertinentia ad fidem. An forte sola substantia mysteriorum, et incarnationis, pertinet ad fidem, et non circumstantiae? ut quod Angelus Gabrieli missus fuerit ad B. Virginem; quod Pastores adoraverint in praeseptio; quod auditis sit concensus Angelorum; quod B. Virgo visitaverit Elisabeth; quod Magi Stella duce venerint

ab

ab Oriente? &c. Attamen & haec circumstantiae sunt pariter revelatae, & ab Ecclesia propositae, sicut ipsa Mysterii substantia. Quod si haec circumstantiae etiam pertineant ad fidem, cur non omnia alia aequae revelata, & ab Ecclesia proposita? 5. Si Vulgata Editio non sit authentica, & fidei regula in historicis, & aliis minoribus, poterit quisquis absque labe haereseos negare omnia historica novi, & veteris Testamenti: in novo, historiam mulieris adulterae, & mulieris peccatricis, resurrectionem Lazari, curationem Caeci nati, & Paralytici, immissionem demonum in porcos, & sexcenta alia, maxime integra fere Acta Apostolorum: in veteri, libros Regum, Judith, Tobiae, Esther, Judicum, Josue, Machabaeorum, &c. Quis autem haec negantem ferat, aut Catholicum credat? Neque dicas, haec non posse negari, quia reperitur etiam in Textibus Hebraicis, & Graecis, & in aliis versionibus: respondebit enim, neque textus Hebraicos, & Graecos, neque alias versiones, sed solum Vulgatam sibi esse ab Ecclesia datam pro regula fidei.

Ad 1. rationem 1. Sententiae respondent, haec menda, quae tempore Trid. erant in Vulgata, & quae post correctionem Clementis VIII. adhuc reperuntur, esse levia Scripturam, aut Typographorum, aut temere emendantium errata, non Interpretum, quaeque ex collatione Codicum, & ex antecedentibus, & sequentibus corrigi possunt; sicutque non impedire, quominus sit authentica, & fidei regula tam in rebus fidei, & morum, quam in aliis; alioquin nulla foret unquam Scriptura authentica, cum sit moraliter impossibile, ut copia, seu versio sit ita conformis suo autographo, quin irrepit aliquid leve mendium Scriptoris, aut Typographi. Neque Ecclesia Vulgatam Veterem probando probavit errata Scripturam, aut Typographorum, aut male emendantium; haec enim non sunt partes, sed vulnera Vulgatae veteris. Neque tamen, cuiquam privato licet corrigere mendium Typographi, quod communiter legitur in Editionibus Vulgatae; sed illud debet proponi iis, ad quos pertinet, ut accedente auctoritate Ecclesiae emendetur.

Si dicas, non esse verisimile Correctores consulto, & de industria praeteritis errata Scribarum, Typographorum, & male emendantium: & tamen citata praefatio Bibliorum dicit: *Consulto relicta immutata, quae mutanda videbantur*. Respondent, id esse verisimile, tum quia dicunt Correctores in eadem Praefatione, se ista praeteritis *Ad offensionem populorum vitandam*: potuissent autem offendi Populi ex correctione quorundam erratorum, etiam si essent tantum Scribarum, Typographorum, aut emendantium: tum quia non constabat, quae erant errata; dicunt enim insuper Correctores, se ea non emendasse, quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebraeis, & Graecis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum etatem ad nos pervenerunt, qui fortasse, tam longo tempore ideu idem describendo, minus puri, atque integri evaserunt.

Si reponas, eosdem Correctores addere pro tertia ratione, quod ipsis propositum non fuit novam aliquam Editionem cudere, vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; quibus significatur, ea mutanda, quae non fuerunt mutata, esse errata Interpretis. Respondent, id non absolute significari, sed conditionaliter tantum, & ex suppositione, 1. quod verè essent errata, de quo ipsis non constabat, ut dictum est. 2. quod essent errata Interpretis, quod non affirmant.

Ad 2. rationem respondent, magis standum esse definitioni Ecclesiae, quam relationi unius Theologi. Hanc secundam sententiam tenent Lores, Turriamus, & quos citat, & sequitur Sylvius l. 1. controv. q. 2. a. 13. Bonifertius praefat. c. 15. lect. 3. Basilius Pontius q. 3. cap. 2. Annatus in Appar. l. 2. a. 5. & alii plures. Attamen, quia prima sententia videtur communior, ejus responsiones ad rationes 2. Sententiae hic subijcio. Itaque

Ad 1. respondent, Concilium loqui de insignioribus Vulgatae partibus, puta, libris, capitulis, & versiculis, non autem de singulis illius verbis, aut vocalibus. Ad 2. merito prohibet Trid. Vulgatam sub quocunque pretextu rejicere; quia, quamvis contineat quaedam levia errata, non licet privata auctoritate ea corrigere, sed expectandum est iudicium Ecclesiae. Vel intelligendum est Concilium, non licere eam rejicere quoad ea, quae fidem, & mores spectant. Ad 3. patet Responsio ex dictis, scilicet, quod Ecclesia jubet Vulgatam haberi pro sacra quoad partes insigniores, praesertim quae spectant fidem, & mores, non quoad minora; & ideo non inducit in errorem. Ad 4. haec minora errata, quae non spectant fidem, aut mo-

res, non proponuntur nobis ab Ecclesia ut revelata. Doctrinam autem fidei, & morum, dicunt, ea esse omnia, quae spectant Mysteria Religionis nostrae, consilia divinae voluntatis, quae fidem, & Religionem juvant, pietatem alunt, mores informant; non autem pertinere ad fidem, & mores quaedam nomina locorum, urbium, fluminum, plantarum, & similia. Ad 5. fatentur, haec salva fide non posse negari, tum quia sunt insigniores partes, & libri integri, qui ex Decreto Ecclesiae pro Canonice habentur; tum quia in his historiis plurima sunt, quae spectant consilia divinae voluntatis, pietatem, & mores. Juxta has duas ultimas responsiones paucis videntur differre ambae sententiae.

ARTICULUS VI.

Utrum liceat legere Scripturam sacram in Lingua vulgari?

Dico 1. Lectio Scripturae sacrae in Lingua vulgari non est per se mala, nec absolute prohibita ab Ecclesia. Prob. Quia si versio in Lingua vulgari sit fidelis, eadem est substantialiter, ac hebraica, graeca, vel latina: neque ulla lex in Ecclesia extat, qua absolute prohibeatur. Calumniantur ergo Ecclesiam Haeretici, dum clamitant eam eripere filiis suis panem spirituales, & testamentum Patris sui.

Dico 2. Stante lege, non est omnibus promiscue licitum legere Scripturam sacram in Lingua vulgari, sed iis solum quibus id concessum est ab Episcopis, aut Inquisitoribus, vel a suis Praelatis, si agatur de Regularibus. Ita Regula quarta Indicis Concilii Trid. his verbis: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimentum quam utilitatis oriri: hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris fect, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujusmodi lectione, non dantur, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutioem percipere non possit. Bibliopole vero, qui praedictam facultatem non habent Bibliis idiomate vulgari conscripta considerent, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant, alioque penis pro delicti qualitate Episcopi arbitrio subiacent. Regulares vero non, nisi facultate a Praelatis suis habita, ea legere, aut emere possint. Quam Regulam Pius IV. Bulla Dominici Gregis data ann. 1564. & Clemens VIII. Bulla Sacrosanctum 1593. praefixis ipsi Indici, observari mandarunt: & in Indice librorum legi prohibitorum sub Clemente XII. legitur italice: *Biblia sacra in lingua vulgari, & omne summarium, seu compendium ejusdem sacrae Bibliae, vel cuiuscunque partis ejusdem*.*

Hujus autem legis aequitatem probat ipsa ratio, quam profert Regula, nempe, quod experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus, ob hominum temeritatem, detrimentum, quam utilitatis oriri. Enim vero, cum in Scripturis plura sint intellectu difficilia, ut ipse S. Petrus Ep. 2. c. 3. expressè, & specialiter testatur de Epistolis S. Pauli, & quaedam apparenter contradictoria, plebei, ut plurimum illiterati, ex Scriptura male intellecta in varios abirent errores; quod experientia comprobatum est, cum inde omnes fere haereses nate sint. Deinde quis putis sensus erit rusticus, aut mulierculae legentis in Osea: *Fac tibi filios fornicationum*; in Canticis: *Osculetur me osculo filii sui*; item adulterium Davidis, incestum Thamar: quod Joseph inebriaverit fratres suos: quod Sara, Rachel, & Lia dederint ancillas suas in concubinas viris suis, &c. non ne apprehendet, ut licita, quae sunt pessima, & ad ea paranda vocabitur, aut Scripturam ut mendacem rejiciat? & ideo Christus monet Ecclesiam in Apostolis: *Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis*: Quae verba Chrysostomus, homilia 12. oper. imperf. Interpretatur de Mysteriis fidei in Scriptura. Insuper periculum est, ne versiones Scripturae in Linguam vulgarem sint infideles, ut jure praesumitur de versionibus Haeticorum, & constat de famosa versione Montensi, toties a summis Pontificibus reproposita, cuius sexaginta millia exemplaria ann. 1691. feruntur jam distributa fuisse. Tandem, si Biblia vulgari Lingua passim permittentur, contingeret, quod jam suo tempore dam-

na-

nabat Hieronymus Ep. ad Paulinum, ubi dicit: *Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant... hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antiquam dicant.* Cui præceperat Apost. 1. ad Tim. 1. dicens: *Volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquantur, neque de quibus affirmant.*

Dices 1. Christus Joann. 5. generaliter monet Judæos, ut scrutentur Scripturas: & SS. Patres hortantur fideles, imò quasi præcipiunt legere Scripturas. Inter alios Chrysostomus homil. 9. in Ep. ad Coloss. *Audite, inquit, obsecro, sæculares omnes... comparate vobis Biblia animæ pharmaca, si nihil aliud vultis; vel novum Testamentum acquirite:* ergo. R. ad 1. in textu non haberi, scrutemini, sed scrutamini, quod Estius, & alii plures Interpretes intelligunt indistinctè, id est, inquiritis, & legitis Scripturas. Verum, esto intelligatur imperativè, Christus ibi alloquitur Scribas, & Phariseos, qui callebant linguam Scripturæ, scilicet, hebraicam (lingua enim vulgaris tunc erat Syriaca) & cum nolent ejus divinitatem agnoscere, remittit eos ad Scripturas, ut confundantur: unde nihil inde contra Conclusionem. Ad 2. SS. Patres hortantur fideles ad lectionem Scripturarum, quia tunc inde uberes fructus sperant ob docilitatem legentium; quod his temporibus sperari non potest, saltem in pluribus, ut infelici experientia notum est: mutatis ergo circumstantiis, Ecclesia prohibet uno tempore, quod permisit altero.

Dices 2. Lectio Scripturæ sacræ in lingua vulgari est æquè bona, & utilis, ac in lingua latina: ergo non magis illa, quam ista, debet prohiberi. R. D. Ant. Est æquè bona, & utilis, &c. & est æquale periculum abusus in utraque, N. & non est æquale periculum abusus, C. Qui enim intelligunt linguam latinam, communiter sunt doctores alii, & recurrere possunt ad Interpretes pro intelligentia Scripturæ. Insuper rarior occurrit versiones latinæ infideles, quam vernaculæ.

Inst. 1. Scriptura est testamentum, & epistola Dei ad nos pro nostra omnium instructione; atqui non est æquum prohibere filiis legere testamentum Patris, & subditis legere epistolam ad eos directam pro eorum instructione: ergo. R. 1. N. Suppositum Minoris: non enim prohibetur absolute lectio Scripturæ in lingua vulgari, sed tantum requiritur conditio, ut cum fructu legatur, & removeatur abusus. Neque ii, in quibus non reperitur conditio, sinuntur ignorare, quæ ex illo testamento, & ex illa Epistola illos spectat, sed de his instruuntur per Pastores, Catechistas, & Prædicatores. 2. D. Min. Non est æquum, &c. si ex lectione, &c. non sequatur gravior inconveniens, C. secus, N. Et sic ageretur in civilibus.

Inst. 2. Juxta Aug. prædicanda est Prædestinatio, etsi aliqui inde offendantur: ergo. R. N. Conseq. 1. Quia Aug. dixit contra Pelagianos, qui negabant necessitatem gratiæ, in quo casu necessaria erat ad eos revincendos prædicatio Prædestinationis: nihil autem simile in nostro casu occurrit. 2. Prædicatio Prædestinationis inspirat homini humilitatem, Dei amorem, fiduciam in ejus misericordia, atque intimum sensum de ejus supereminenti altitudine, ac supremo, & universali dominio: ad hæc autem non requiritur necessariò lectio Scripturæ sacræ, sed haberi possunt per Pastores, Confessarios, & piæ lectiones.

Inst. 3. Fit abusus in vino, in Eucharistia, & in pluribus aliis; quæ tamen non prohibentur: ergo. R. Neque prohiberi absolute, ut jam toties dixi, lectionem Scripturarum, sed requiri conditionem, ut caveantur abusus; quod pariter fieri posset circa vinum, Eucharistiam, & alia. Non fit tamen circa vinum, quia generalior est ejus convenientia; neque circa Eucharistiam, quia est præceptum Domini de ea sumenda: secus, quoad utrumque de lectione Scripturæ. Deinde quid simile habemus circa Eucharistiam; etenim propter diminutionem charitatis, & mores corruptos, nunc non probatur tam frequens usus Eucharistiæ, quam in primitiva Ecclesia.

Petes. 2. Utrum saltem Pastores, Concionatores, & ii, qui ad hæc munia disponuntur, possint legere Scripturam in lingua vulgari? Respondet probabilis affirmativè Sylvius l. 1. contrav. q. 2. a. 14. dicitque, hæc sententiam esse communi virorum doctorum, & proborum usu probatam. Rationem adfert ex ipso Concilio Trid. in ejus Sess. 22. cap. 8. præfatis mandatur, ut inter Missarum solemnità exponant per se, vel per alios aliquid ex eis, quæ in Missa leguntur, ut sunt Epistolæ, & Evangelia. Non est autem consultum, quod quilibet Parochus, aut Concionator ista verat in linguam vulgarem; tum quia non omnes sunt hujus capaces; tum quia id magnam varieta-

tem, & confusionem pareret in Ecclesia: qua propter ii videntur habere licentiam ab ipso Concilio.

Petes. 2. Utrum, qui cure animarum non deputantur, sciunt tamen linguam latinam; possint legere Scripturam in vulgari lingua? R. Quosdam affirmare; & contrarium tamen ut probabilis tenet laudatus Sylvius, quia hi videntur comprehendi in prohibitione generali; lex enim dicit generaliter Regulares (inter quos multi callent linguam latinam) non posse legere, aut emere Biblia lingua vulgari edita, nisi obtenta facultate a suis Prelatis; & id fortè, quia versiones vulgares sunt frequentius vitiatæ. Ceterum intellige, nisi usus contrarius prævaluerit, ut jam dicturus sum. Itaque.

Dixi in Conclusionem stante Lege; quia in pluribus locis consuetudo contraria legi derogavit, & in quibusdam penitus abrogavit. Sic in his partibus, & in pluribus aliis sine scrupulo leguntur vernaculæ Epistolæ, & Evangelia Missæ, Officium Hebdomadæ sanctæ, compendia Historiæ veteris, & novi Testamenti; imò integra Historia veteris Testamenti sub hoc titulo, *Histoire de Peuple de Dieu:* Bibliopola vendunt omnibus promiscuè Biblia in lingua vulgari, non inquirentes, an qui emunt, habeant licentiam in scriptis. Denique in Gallia, Germania, Hollandia promiscuè leguntur ab omnibus Biblia vernacula, scientibus, & non contradicentibus Episcopis, imò quibusdam hæc Lectionem suadentibus. Nequè repugnat, aliquam legem vigere in uno territorio, & non in alio.

Quid autem facere debeamus nos, inquit P. Henno Tract. de virtutibus d. 2. q. 1. a. 5. Concl. 3. *aliquæ Galles vicini* (debebat tunc Tornaci in Belgio) *apud quos sunt innumera Biblia gallica, saltem novi Testamenti, in omnibus ferè familiis honestioribus dispersa; apud quos, inquam, aliqui Episcopi, & Pastores plurimi non solum novi Testamenti lectionem permittunt, sed præcipiunt, nisi insinuant? Certè nec scio, nec video, nisi quod in illis servet unusquisque Ecclesiæ suæ morem receptum.* Prudenter tamen laudatus Theologus monet, non esse facile permitteendam lectionem veteris Testamenti, nisi visis id intelligentibus, & cavendum esse a versionibus adulteratis.

ARTICULUS VIII.

De Scripturæ sacræ sensibus.

Sensus Scripturæ nihil est aliud, quam verborum ejus im-

mediata, mediatae significatio, a Deo intenta. Dico. 1. (1. p. q. 1. a. 10. o.) Duplex est in genere sensus Scripturæ sacræ, literalis, seu historicus, & mysticus, seu spiritualis. Prob. (*Ibid.*) Auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideo, cum in omnibus scientiis voces significant, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significant per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel literalis: illa verò significatio, qua res significant per voces iterum res alias significant; dicitur sensus spiritualis, seu mysticus, qui super litteralem fundatur, & eum supponit: sic hæc vox *Manna* significat litteraliter cibum levem; iste autem cibus levis significat mysticè Eucharistiam. Sensus literalis dicitur a D. Th. & passim a Theologis historicus, non quod semper historiam referat, ut patet in hac propositione: *Diliges Dominum Deum tuum;* sed ad distinctionem sensus mystici, qui fundatur in historia, seu re gesta; & quia quilibet propositio sensus literalis inserta est historiæ tanquam pars ejus.

Dico 2. Duplex est sensus literalis, unus proprius, & grammaticalis, alter proprius, & metaphoricus. Sensus proprius, & grammaticalis est is, quem verba ex sua primariâ significatione significant; sic *leo* propriè, & grammaticaliter significat animal rugibile. Improprius, & metaphoricus est, dum verba ad improprium significationem transferuntur propter aliquam similitudinem: sic in hac propositione, *vicit Leo de Tribu Juda, Leo* significat improprie, & metaphoricè Christum.

Dico 3. (*Ibid.*) Triplex est sensus spiritualis, seu mysticus, scilicet allegoricus, moralis, seu tropologicus, & analogicus: quia vel res significant per verba significant aliquid aliud pertinens ad Ecclesiam militantem, & est sensus allegoricus respondens fidei; vel significant aliquid pertinens ad mores, & est sensus moralis respondens charitati; vel significant aliquid pertinens ad Ecclesiam triumphantem, seu æternam beatitudinem, & est sensus analogicus respondens spei. Hi tres sensus cum literalis ex-

exprimunt his tritis versibus.

Littera gesta docet; quid credas Allegoria;

Moralis quid agas; quò tendas Analogia.

Inter alia sit exemplum: hæc vox *Jerusalem* jaxtâ Hieron. in c. 16. *Ezech.* literalitèr significat urbem Palestinæ, allegoricè significat Ecclesiam militantem, moralitèr animam Justam, analogicè Ecclesiam triumphantem.

Dices 1. Hi tres sensus continentur etiam sub litterali; istud enim, *Et verbum caro factum est* pertinet ad fidem, seu Ecclesiam militantem: istud, *Diliges Dominum Deum tuum*, pertinet ad Ecclesiam triumphantem. R. ita quidem esse, sed non sensus mystici; non autem modum loquendi SS. Patrum & Interpretum sequentes, omisso sensu literalis, dividiunt, & bonè, sensum mysticum in has tres species.

Dices 2. Sensus metaphoricus videtur pertinere ad sensum mysticum, dum enim dicitur, *vicit Leo de Tribu Judæ,* per leonem animal, quod est res significata, significatur Christus: ergo. R. N. Ant. & ejus probationem: non enim per leonem, ut est res, in hac propositione significatur Christus; alioquin verum esset, quod leo verum animal vicisset: sensus enim literalis est semper verus; sed per hæc vocem, *leo*, translata propter similitudinem ad sensum improprium, significatur immediate Christus. Itaque sensus literalis significatur per verba, ut verba sunt propriè, vel improprie sumpta; sensus autem mysticus significatur per res, ut res sunt. Quod ut melius percipiatur, observandum est, quod jam dixi, in omni sententia Scripturæ reperiri sensum litteralem, cum sit fundamentum spiritualis, et ideo eo secluso nullus foret sensus. Sensus autem literalis semper est verus, cum Spiritus S. non possit dicere falsum. Quando ergo sensus proprius et grammaticalis est falsus, seu repugnans, tunc sensus literalis est improprius et metaphoricus: sic cum Christus Matth. 5. dicit: *Si oculus scandalizet te, erue eum,* sensus proprius et grammaticalis est repugnans, alioquin verè esset eruedus oculus; sed est sensus literalis metaphoricus, quatenus *Tu Oculis* significat quidquid nobis est æquè præciosum, ac oculus. E contra, cum dicitur Ps. 77. *Pluit illis manna,* manna literalitèr significat cibum levem, & hic sensus literalis grammaticalis est verus: iste autem cibus levis significat mysticè Eucharistiam, ut jam dictum est.

Petes 1. Ad quem sensum pertineat Parabolicus? R. (*Ibid.*) ad 3. pertinere ad sensum litteralem metaphoricum: quia Parabola nihil est aliud, quam integra sententia, sui propositio, quæ propter similitudinem (Parabola enim) est sermo similitudinarius; transferunt ad significandum aliquid aliud a profereute intantum; ut cum Christus Matth. 13. dicit: *Exiit, qui seminat, seminare;* voluit per istam sententiam parabolicam significare prædicationem Evangelii, ut ipse postea explicavit.

Petes 2. Utrum omnis textus S. Scripturæ habeat sensum litteralem? R. (*Ibid.* o.) ex dictis semper habere proprium, vel improprium; alioquin caret omni sensu, cum spiritualis fundetur in literali. Unde, si quidam SS. Patres videntur negare in quibusdam textibus sensum litteralem, intelligendi sunt de sensu proprio, & non metaphoricò.

Petes 3. Utrum idem textus Scripturæ possit habere plures sensus literales? R. affirmativè: (*Ibid.*) quia, cum Autor Scripturæ sacræ sit Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, si etiam in una littera Scripturæ plures sint sensus literales. Sic Illud Isaie 53. *Generationem ejus quæ enarrabit?* SS. Patres intelligunt ad litteram de æterna Verbi generatione, & de temporali ejus Incarnatione. Unde non est mirum, si quandoque versiones, etsi sincere discordent, dum unus Interpretes assumit unum sensum, & alter alium, utrumque legitimum.

Petes 4. An quatuor sensus assignati, literalis, & triplex mysticus, possint reperiri in uno textu Scripturæ. R. affirmativè. Patet in hæc voce *Jerusalem*, de qua supra.

Petes 5. An in quolibet textu Scripturæ sit quatuor sensus reperiantur? R. negativè (*Quodlib.* 7. a. 15.) sed quandoque tres, quandoque duo, quandoque solus literalis reperitur. Sic in his; *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde: honora Patrem tuum,* & in pluribus aliis similibus, nullum est fundamentum sensus mystici. Unde multum hallucinantur, qui, dum in omnibus Scripturæ textibus sensus mysticos querunt, & non inveniunt, ridiculè Scripturas conserunt.

Petes 6. Quis sensus sit potior, an literalis, an mystico. Theol. Billuart Secunda Secunda.

cus? R. esse excedentes & excessos. Literalis prævalet 1. quoad prioritatem, quia est fundamentum mystici: 2. quoad generalitatem, quia reperitur in omnibus; 3. quoad certitudinem: etenim certo constat de sensu literalis; non de mystico, nisi dum a Scriptore sacro sensus litteralis, aut per Ecclesiam declaratur; sensus enim mystici, quos profertur SS. Patres, non sunt nisi probabiles. Unde ex solo sensu literalis, aut mystico per aliam Scripturam, vel Ecclesiam asserto, deduci potest efficax argumentum. Ex alia parte sensus mysticus prævalet 1. quatenus regularitèr significat res præstantiores. 2. principalitèr intenditur a Spiritu S. Sic narratione factorum in veteri Testamento Christus principalitèr intenditur: unde sensus literalis comparatur corpori, mysticus animæ. Quando ergo S. Th. 1. p. q. 1. a. 10. o. dicit, sensum litteralem esse quem Autor intendit, intelligit de prima & proxima, ac certiori intentione, non de præcipua & nobiliori, dum occurrit.

Petes. 7. Utrum sensus Scripturæ sit obscurus? R. esse obscurum in multis locis. Est contra Hæreticos. Patet ex ipsa Scriptura. S. Petrus Ep. 2. c. 3. loquens de Epistolis S. Pauli, dicit: *In quibus quedam sunt difficilia intellectu.* Act. 8. Philippo interroganti Eunuchum, an intelligeret Isaiam, quem legebat? responderet Eunuchus: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Luca 24. Christus Discipulis euntibus in Emmaus Scripturas interpretatur. Luc. 18. Apostoli nihil horum intellexerunt, quæ dicebat Christus, & plura alia. Idem probant tot Commentaria SS. Patrum & Interpretum, ad explicandam Scripturam: tot contentiones Hæreticorum inter se de vero sensu Scripturæ: si enim sit apertus, ut volunt, cur non omnes conveniunt? Cur alitèr Lutherani, alitèr Calvinistæ intelligunt?

Dices 1. Ps. 18. & 118. S. Scriptura dicitur lux & lucerna. 2. Deuterion. 3. dicitur mandatum non esse supra hominem, nec procul ab eo. 3. Apost. 2. Cor. 4. dicit: *Si opertum est Evangelium, in iis, qui perveniunt, est opertum.* 4. Discrimen, quod est inter veteris & novum Testamentum, est, quod vetus sit liber signatus, Isaias 19. & novum sit liber apertus, Apocal. 5. 5. Chrysost. hom. 3. in 2. ad Thess. dicit: *Omnia clara sunt & plana ex Scripturis divinis: quæcumque necessaria sunt, manifesta sunt:* ergo. R. ad 1. Scriptura dicitur lux & lucerna, non quia facile intelligitur, sed quia intellecta mentem illustrat. Ad 2. non ibi agitur de intellectione Scripturæ, sed de adimplentione Mandatorum Dei, quæ est facilis, non per vires naturæ, sed per Dei gratiam. 3. Apost. ibi non loquitur de Scriptura, sed de Evangelio voce prædicato & explicato. Ad 4. vetus Testamentum dicitur liber signatus, quia mysteria futura in eo figuratè contenta non intelligebantur: novum autem dicitur liber apertus, quia ista mysteria per Christum sunt adimpleta & declarata. Ad 5. Chrysostom. loquitur de Scriptura prout continet præcepta moralia tantum: ipsum autem agnoscere in pluribus aliis obscuritatem Scripturæ, constat ex hom. 10. & 40. in Joann. imò ex ipsa homilia, quæ objicitur.

Petes 8. Quare sensus Scripturæ sit obscurus? R. ex ipsa conditione & altitudine rerum, ut sunt mysteria fidei, quæ continentur in Scripturis, & ex modo, quo proponuntur per metaphoras, tropos, & figuras, naturalitèr sequi obscuritatem: sed nec deluerunt motiva, ut modo obscuro proponerentur. (*Ibid.* ad 2.) Quia id est utile ad tollendum fastidium; ad ea enim, quæ sunt difficilia, major surgit attentio, quæ fastidium tollit. 2. In hoc tollitur occasio superbiendi, dum homo in ipsa intelligentia Scripturæ difficultatem patitur. 3. Per hoc veritas fidei ab irrisione Infidelium defenditur. Unde Christus Matth. 7. dicebat: *Nolite Sanctum dare canibus.* 4. Id conducit ad majestatem & reverentiam Scripturæ; vilesceret enim, si facile intelligeretur.

Petes 9. Cujus sit judicare de vero sensu Scripturæ? Inter hæreticos quidam dicunt, Judicem sensus Scripturæ esse ipsam Scripturam: quidam, spiritum privatum: Catholici autem dicunt, esse Ecclesiam. Itaque R. 1. Scriptura non potest de suo sensu judicare 1. quia, quando controversatur de sensu Scripturæ, ipsa Scriptura & ejus sensus est obiectum & materia controversiæ: ergo non potest esse Judex; nemo enim unquam somnavit, rem controversam esse Judicem controversiæ. 2. Judex in aliqua controversia debet partes litigantes audire, sententiam ab ipsis audientibus & excipiendam proferre, & posse illos compellere ad acquiescendum sententiæ: alias frustraneum esset judicium; atqui Scriptura hæc præstat non potest: ergo. 3. Si Scriptura sit tam clara & aperta, ut sufficiat pro-

F eruen-

erueno ejus vero sensu, ut prætendunt Heretici, quare ergo ipsi à tot annis disputant de vero sensu plurimorum textuum Scripturæ, inter alios de illo celebri: Hoc est corpus meum? Vel ergo non legunt Scripturam, vel sunt pertinaces contra agnitam veritatem.

Dicitur Augustinus l. 2. de Doctr. Christ. c. 6. dicit: Nihil ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non plenissimè dictum alibi reperitur: ergo Scriptura potest se ipsam explicare. R. N. Conseq. 1. Quia Aug. non dixit simpliciter Nihil, sed, ferè nihil; ideoque supponit, esse quædam, quæ nullibi per alia clariora explicantur, ut revera sunt plurima in Prophetis, præsertim in Ezechiele, in Epistolis Pauli, & in Apoclipisi. 2. Quia incertum est, quænam sint illa clariora, per quæ obscura explicantur, alioquin cur hæretici ad illa clariora non recurrunt in suis disputationibus?

R. 2. Spiritus cujusque privatus non potest esse Judex de vero sensu Scripturæ, 1. quia non habet auctoritatem compellendi partes ad acquiescendum suæ sententiæ. 2. Quia est varius in variis, incertus & sæpè sibi contrarius: dicitur Lutheranis hunc sensum esse verum; dicitur Calvinistis contrarium: dicit Lutheranus, se bonum habere spiritum, negat Calvinista. Quis litem dirimet? 3. Nullus est, aut fuit unquam hæreticus, qui non prætendat, se bono spiritu ducti. Si ergo cujusque privatus spiritus sit Judex de vero sensu Scripturæ, admittendæ sunt omnes hæreses ut veræ, nihil enim nisi verum à bono Spiritu procedere potest. R. 3. Judex de vero sensu Scripturæ est Ecclesia: quia, ut infra probabimus, est infallibilis tam in proponendis Scripturis Canonice, quam in judicando de vero earum sensu. De hæc responsione fusius Dissert. subseq.

Petes. 10. At non sint quædam regulæ ad dignoscendum sensum litteralem Scripturæ? R. Communiter assignari sequentes. Prima, sensus, quem verba in propria significatio-

ne accepta important, si non sit absurdus, nec dogmatibus fidei, aut morum honestati repugnans, est sensus literalis. Colligitur ex Aug. l. 3. Doctr. Christ. c. 10. & ex l. 8. de Genesi ad Litt. c. 7. Secunda, sensus literalis est, quem Ecclesia, vel unanimes Patrum consensus habet pro literalii. Ex Conc. Trid. Sess. 4. cap. 2. Tertia, ad intelligentiam Scripturarum adhibenda est vitæ mundities, frequens, humilis, & devota oratio, collatio antecedentium & sequentium, locorum similium & variorum exemplarium, atque assidua Patrum & Interpretum lectio.

Petes 11. Quid sit sensus accommodatius? R. Quod sit sensus, quem verba Scripturæ habent, non ex intentione Dei, aut Scriptoris Sacri, sive literaliter, sive mystice, sed ex intentione hominis ea applicantis ad significandum aliquid simile illi, quod exprimitur in Scriptura. Unde non est sensus Scripturæ, sed hominis detorquentis veram significationem Scripturæ ad aliud propriè similitudinem: sicut si quis hæc verba Rebecca dicta de Jacob & Esau Gen. 25. Major serviet minori, applicaret natu minori alicujus familiaris, cui natu major servire debeat. Hoc sensu accommodatio plura dicta de sapientia æterna applicat Ecclesia Divæ Virginis, plura dicta de Noë, Moysæ, & Aaronæ Eccli. 44. & 45. ut, Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inventus similis illi. Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Statuit illi testamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium, applicat SS. Confessoribus Pontificibus.

Petes 12. Utrum liceat cuique privato usurpare verba Scripturæ in sensu accommodatio? R. In rebus bonis & ex bona fide licitum esse, modo tamen non profuerit ut sensus Scripturæ. In angis, jocis, adagiis irreligiosis est. In falsis, scurrilibus, adulationibus, detractionibus, impudicis, impium & sacrilegum.



DISSERTATIO II.

DE TRADITIONIBUS.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Traditio; & quanta auctoritatis?

Traditio generalitèr est doctrina, ab uno alteri scripto, vel voce communicata. Unde Apost. 2. Thessal. 2. Tene, inquit, Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam, id est, sive voce, sive scripto. Dicitur Doctrina; quia traditio hic non sumitur pro actu transmittendi, sed pro re transmissa. Specificè autem sumpta Traditio, prout distinguitur a Scriptura, est doctrina ab uno alteri viva voce communicata. Est vel bona, vel mala, vel inutilis. Item vel spectat politiam civilem, vel fidem & mores fidelium. Hic agitur de Traditione bona spectante fidem & mores fidelium.

Dico 1. Traditio sic sumpta definitur potest: Doctrina, ad fidem & mores Christianos pertinens, viva voce a suo Auctore communicata. Dicitur, a suo Auctore; quia non obstat Traditioni, si semel a suo Auctore sola voce communicata, postea ab aliis scripto mandetur. Hujusmodi sunt Baptismus parvulorum; perpetua Virginitas B. Mariæ, jejunium quadragesimale, celebratio festorum Paschæ & Pentecostes, & plura alia.

Dico 2. Traditio ex parte originis dividitur in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Divina est, quæ a Deo Patriarchis, vel a Christo discipulis, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, viva voce ad posteror communicata est. Apostolica est, quam Apostoli auctoritate Apostolica, tanquam Ecclesie Præfecti, instituerunt. Ecclesiastica est, quam Concilia, aut Summi Pontifices, aut SS. Patres introduxerunt. Observandum tamèn, hæc vocabula, Divina, Apostolica, Ecclesiastica, quandoquæ a SS. Patribus confundi: etenim Traditiones divinas interdum vocant Apostolicas & Ecclesiasticas; quia, licet sint immediate a Deo, per Apostolos promulgatæ sunt, & per Ecclesiam ad nos transmissæ. Interdum etiam Apostolicas & Ecclesiasticas vocant divinas, non quod sint immediate a Deo, sed quia Apostoli, aut Ecclesie Prælati eas instituerunt, inspirante Spiritu S., ut instituerent; vel quia eas instituerunt auctoritate a Deo accepta, vel quia ad exemplum Christi eas instituerunt, ut v. gr. Jejunium quadragesimale.

Ratione materie Traditio dividitur in dogmaticam &

moralem, seu ritualem. Prima versatur circa dogmata, ut Patrem esse ingenitum, esse quatuor Evangelia, septem Sacramenta, B. Mariam fuisse antè, & post partum Virginem, &c. Secunda spectat mores, ut observandum esse jejunium quadragesimale, celebrandum Festum Paschæ, &c. Ratione temporis, dividitur in temporalem, quæ ad tempus tantum fuit instituta, ut est abstinentia a sanguine & suffocato, trina immersio in Baptismo: & in perpetuam, quæ instituta est, ut perpetuo duratura, ut Baptismus parvulorum, validitas Baptismi ab Hæreticis collati.

Dico 3. Traditio divina est infallibilis auctoritatis, & fidei Regula; quia est verbum Dei, non minus quam Scriptura sacra: Scriptura sacra autem non est infallibilis auctoritatis & fidei regula, quia est scripta, sed quia est verbum Dei: undè Trid. sess. 4. cap. 1. declarat se Pari affectu & reverentia suscipere, ac venerari Traditiones divinas ac Scripturam sacram. Ex quo colliges, ex Traditione divina, firmum & efficax posse formari argumentum, sicut ex Scriptura divina. Traditio Apostolica tantæ est auctoritatis, quantæ sunt Decreta Apostolica. Traditionis verò Ecclesiasticæ ea est auctoritas, quæ est Legum Ecclesiasticarum. Undè Traditiones Apostolicæ & Ecclesiasticæ patiuntur dispensationem, derogationem, & abrogationem.

Petes, quæ sit Regula dignoscendi Traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam? R. 1. Regula dignoscendi Traditionem in communi, ea est, quam statuit Aug. l. 4. contra Donat. c. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum est, sed semper retentum non nisi Apostolica auctoritate traditum certissime creditur. R. 2. Regula dignoscendi Traditionem divinam, prout ab Apostolica distinguitur, est, si Ecclesia tenet aliquid tanquam de fide, aut aliquid, quod non nisi à Deo potest institui, esse servandum, est Traditio divina nobis per Apostolos transmissa. Ratio est; quia Ecclesia errare non potest: ergo, quod dicit esse de fide, aut esse servandum, ita est. Subsumo; atqui nihil est de fide, nisi sit a Deo immediate traditum; neque id, quod a solo Deo potest institui, verè dicitur servandum, si a Deo non sit institutum: ergo. Sic sunt Traditiones divinas Baptismus parvulorum, validitas Baptismi Hæreticorum, perpetua Virginitas B. Mariæ, tria Sacramenta, Baptisimum, Confirma-

mationem, & Ordinem, esse interabilia, &c.

Dixi: Per Apostolos nobis transmissa: quia Ecclesia post tempora Apostolorum non habet novæ revelationes, sed omnia fide tenenda revelata sunt Apostolis a Deo, sive per Christum loquentem, sive per Spiritum S. dictantem, & docentem omnia, juxta promissiones ipsis factas a Christo Joann. 14. & 16. Quando ergo Ecclesia definit aliquid a Deo traditum, & fide divina credendum, non condit novum articulum fidei; id enim jam erat de fide, etsi non explicita, Apostolis revelatum: sed declarat, quod id, quod non noscebatur esse fidei, ita nunc esse habendum, ut jam alibi observavimus.

Alter Regula dignoscendi Traditionem divinam est: quando Patres priorum sæculorum tenent unanimiter tanquam de fide aliquid non scriptum, & oppositum damnant ut hæreticum, est Traditio divina. Quæstio hic potissimum est de Traditionibus divinis; quas non esse admittendas, contendunt hodierni Hæretici, Gnosticorum, Valentianorum, & Marcionitarum in hoc exempla secuti. Undè Calvinus l. 4. Instit. c. 2. §. 8. hæc regulam statuit: Esto hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Verbum Dei, cui detur in Ecclesia locus, quam quod lege primum, ac Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur. Undè sit

ARTICULUS II.

Utrum Traditiones divine sint necessariò admittendæ?

Dico. Præter Scripturam sacram, necessariò sunt admittendæ Traditiones divinx. Prob. 1. ex Scriptura. Apost. 2. Thessal. 2. dicit: State, & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam, id est, sive voce, sive scripto: & loquitur de Traditionibus divinis, & ad fidem pertinentibus, quia horratur ibi Thesalonicenses, ut permaneant in fide. Undè Chrysostomus ad hæc verba ait: „Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderunt; (Apostoli) sed multa etiam sine litteris: eadem verò fide digna sunt tam illa, quam ista. Itaque Traditionem quoquæ Ecclesie fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius: idem Apost. 2. Tim. 1. Formam habe, inquit, sanorum verborum, quæ à me audisti. In quæ verba Chrysost. cit. iterum ait: non modo per litteras, sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda, dicitur, quod plurimis, & aliis in locis ostendit dicens (2. Thessal. 2.) sive per verbum, sive per epistolam quasi per nos missam. Item c. 2. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu: id quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.“ Hæc autem vocabula, quæ a me audisti per multos testes, aperte indicant Apostolum loqui de traditis voce, non scripto.

Prob. 2. ex Patribus. Præter Chrysost. jam cit. Dionysius de Eccles. Hierarch. c. 1. de Apostolis loquens dicit: „Primi illi nostri numeris sacerdotalis duces. . . summa illa, & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis, institutionibus suis nobis tradiderunt. Ireneus l. 3. c. 3. Traditionem Apostolorum, inquit, in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire: Et c. 4. Quæ sunt Ecclesie cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis Traditionem: & si de aliqua modica questione disputatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis sumere de præsentis questione, quod certum, & liquidum est? Quid autem si neque Apostoli reliquissent nobis Scripturas? Nonne oportebat sequi ordinem Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multe Gentes Barbararum, quorum quæ in Christum credunt, sine charta, & atramento scripturam habentes per Spiritum S. in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem Cœli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt per Jesum Christum Dei filium.“ Tertulianus de corona militis c. 4. post enumeratas quasdam observantias Christianæ Religionis de Baptismo, de oblationibus pro defunctis, & similibus, dicit: „Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expositules, scripturam nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, conjugeto conservatrix, & fides observatrix: rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexit, dices. Origines in c. 6. Epist. Rom. Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditione accepit, etiam parvulus Baptisimum dare. Basilides de Spiritu S. c. 27. ait: Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus et doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apost. Theol. Billuart. Secunda secundæ.

tolorum Traditione in mysterio, id est, in occulto reconditis, quorum utraque parem vim habet ad pietatem. Et hom. 28. contra Sabelium, Arium, & Anomæos: Et ne Spiritum S. inquit, a Patre, & Filio separet, absterreat te Dominica Traditio: Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt; Patres observarunt, Martyres confirmarunt, satis tibi sit, ut dicas, quemadmodum S. Cyrillus (Catechesi 5.) Videte itaque Fratres, ut servetis Traditiones, quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, ut cum pietate eas custodiatis. Epiphanius hæresi 61. Oportet ex Traditione uti; non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione SS. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus: Sicut tradidi vobis. Et hæresi 69. Respondete nobis, Arii Discipuli: Ingenitum dicimus omnes simul Patrem, & increatum, & admirabilis est dictio scilicet: ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite; quæ enim Lex, neque Prophetæ, neque Apostoli. Hieron. in Dialogo contra Lucifer. cap. 4. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesser, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam, & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ Legis usurparunt. Aug. l. 4. contra Donat. c. 24. tradit Regulam pro dignoscendis Traditionibus; vide art. præcedenti L. 2. c. 7. loquens de non rebaptizandis Hæreticis: Multa, inquit, quæ non inveniuntur in litteris eorum (Apostolorum) neque in Conciliis posteriorum: & tamèn ipsa per universam Ecclesiam custodiuntur, non nisi ab ipis tradita, & commendata creduntur. L. 3. contra Maximin. c. 3. Da testimonia, ubi adoratur Spiritus S. quasi non eis quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus. Sed ne querere multa compellar, tu ubi legis Patrem Deum ingenitum, vel innatum? Et tamèn verum est. Plures alios Patres omitto, qui legi possunt apud Controversistas.

Prob. 3. Ecclesia aliquando stetit solis Traditionibus sine Scriptura: ergo traditiones non sunt rejiciendæ. Prob. Ant. Tempore legis naturæ ab Adamo ad Moysen nullam fuit Scriptura, sed ex sola traditione habeatur fides de creatione mundi, de futura vita, de remedio peccati Originalis, de cultu Dei, &c. Tempore Legis scriptæ a Moysæ ad Christum, licet plura fuerint scripta, erat tamèn sola traditio de remedio peccati originalis pro feminis, de divinitate Librorum Canonice, & de multis aliis, Undè Deut. 32. dicitur: Interroga Patrem tuum, & annuntiavit, majores tuos, & dicent tibi. Et Eccli. 8. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis. In nova autem Legge, antequam Apostoli, & Evangelistæ post Ascensionem Christi scriberent aliquid, stetit Ecclesia, & Fides Christi solis Traditionibus ergo.

Prob. 4. Multa sunt fide divina credenda, quæ & ipsi Hæretici credunt, quæ tamèn non continentur expresse in Scriptura, sed sola Traditione tenentur; ut quod Pater sit ingenitus, quod parvuli sint baptizandi, quod baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi, quod Despara ante, & post partum manserit Virgo, quod sint quatuor Evangelia, & non plura, &c. Hæc, inquam, & multa alia fide divina credunt in Ecclesia, hæc ipsi Hæretici credunt, & tamèn non continentur in Scriptura, sed ex sola traditione habentur: imò ipsorum principium, quod firmissimè credunt, nihil esse recipiendum nisi in Scriptura expressum, non inveniuntur in Scriptura: ergo, velint nolint, Traditiones admittere coguntur. Confirm. Undè sciunt Hæretici Scripturam, quam tantoperè commendant, esse sacram, & divinam? Non ex ipsa Scriptura, id namquæ non dicit; & si diceret, non magis teneremur illi credere quoad hoc, quam quoad alia, nisi prius aliunde nobis constaret, quod sit divina; non est enim infallibilis, nisi quia divina. Ut ergo illi asserenti se esse divinam credam, debet mihi prius aliunde constare, quod sit divina: alioquin omni libro asserenti se esse a Deo, etiam ipsi Alcorano, teneret credere ut Scripturæ divinx. Ex sola ergo Traditione habetur, quod hæc, & non alia Scriptura sit sacra, & divina.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Traditiones reprobantur in Scriptura: ergo. Prob. Ant. 1. Deuter. 4. dicitur: „Non additis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. 2. Apoc. ultimo: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas. 3. Galat. 1. Licet nos, aut Angelos de coelo evangelizet vobis præter quam quod evangelizamus vobis, anathema sit. Matth. 15. Irritum fecistis mandatum meum propter traditionem vestram.“ ergo. R. N. Ant. Ad 1. Moyses prohibet aliquid addi verbo Dei, quod loquitur, prava in-